D. HERM. RICHARDI POLLMANNI DISSERTATIO IURIS FEUDALI DE FEUDO FRANCO, VOM...

Hermann Richard Pollmann, Valenti Gonzaga





I. N. D. N. I. C.

DISSERTATIO
DE FEUDO FRANCO
EXHIBET.

I. INTROITUM.
§. II. ETYMOLOGIAM vocis: *feudum*.
§. III. *Francum*
§. IV. An cum Germanico Francorum populo eandem habeat.
§. V. HOMONYMIAM.
§. VI. SYNONYMIAM.
§. VII. Plurium definitionum recensum.
§. VIII. Harum ex parte rejectionem.
§. IX. DEFINITIONEM meam.
§. X. DIVISIONEM *primam* in *expressum et tacitum* quæ rejicitur.
§. XI. An Paribus vel inferioribus concessum sit francum.
§. XII. Non dari tacitum ob acquirendi modum.
§. XIII. Nec ob materiæ exiguitatem.
§. XIV. Nec ob adjecta servitia impossibilia vel ludicra.
§. XV. Nec ob permissam postea simpliciter alienationem.
§. XVI. DIVISIONEM *secundam* in *plenum et minus plenum*.
§. XVII. DIVISIONES quæ admitti possunt.
§. XVIII. EXISTENTIAM an & ad substantiam feudi pertineant servitia.
§. XIX. Exempla in variis Europæ Terris.
§. XX. SUBJECTUM *activum*.
§. XXI. *Passivum*.
§. XXII. OBJECTUM ubi de re *aliena* & evictione.
§. XXIII. *Ecclesiastica*, *feudali*,
§. XXIV. *Bonis Imperii*.
§. XXV. *Re mobili*
§. XXVI. FORMAM CONSTITUENDI Ubi occurrunt *promissio*.
§. XXVII. *Investitura* vel *vera* quoad communia.
§. XXVIII. Specialia
§. XXIX. Vel *præsumpta* in præscriptione.
§. XXX. *Successio* non testamentaria.
§. XXXI. Sed legitima. Ubi de fœmina,

§. I.

JUris civilis, quo utimur, neutiquam contemnenda pars merito audit illustri D. ab Eiben *in Elect. feudal. cap.* 1. §. 2. jus nostrum feudale, quod & jam sæculo XIV. in Imperio juris communis nomine venisse annotat D. Rhetius *in Comm. ad conf. feud. proœm. pag.* 10. *n.* 43. ut adeo alienum videri nequeat materiam huic juri propriam dissertationi, ceu vocant, inaugurali destinare, Materiæ enim feudalis dignitas, qua privatis præstat omnibus. Id. D. Rhet. *d. l. n.* 40. Wesemb. *p.* 3. *conf.* 40. *n.* 31. satis, ni fallor, ejusmodi confirmat institutum. Tralatitium vero cum sit, feudum in non francum, quod communibus nititur regulis, & francum, quod ratione servitiorum improprium esse passim ajunt, dispesci Zoes *tract. feud. cap.* 2. *n.* 27. Gudelin *p.* 4. *cap.* 4. *n.* 1. Deque posteriori rerum feudalium Scriptores hinc inde sparsim saltem egerint; Nemo vero, quod sciam, ex professo forte satis tractaverit, utilitate suâ, quâ indies in feudalibus Curiis sese commendat, haud cariturum duxi, si in vicem quasi spicilegii vel quicquam de hacce nobilissimâ pariter ac jucundissimâ feudi franci materiâ delibare instituerem, inque tali argumento ingenii vires periclitarer, quod & usu eximium, nec tamen protritum nimis, Cœterorumque curis ita exhaustum esset, ut industriæ alterius, qui Collectoris saltem vice fungeretur, amplius locus non daretur;

Fa-

Favete Fautores conatui, & ut feliciter cedat velit æternum numen!

II. Quia vero in omni tractatione rerum quidem potior, verborum autem prior cura esse debet, feudi franci notatio primo omnium erit investiganda; Ubi quidem de vocis feudi origine varii varie sentiunt, aliis & plerisque ex Idiomate Latino, aliis Germanico eam repetentibus vid. omnino Ill. D. ab Eiben *cap. 1. Elect. Feud.* §. 8. *& seqq.* & du. Fresne. *in Gloss. voc. feudum, & voc. fiscus.* Verum cum notante D. Rhetio *ad 1. feud. 1. pag. 41.* apud viros etiam solide eruditos pro genuinis derivationibus contortæ allusiones heic quoad magnam partem arripiantur, non est cur iis adducendis immoremur, cum scopus dissertationis hujus saltem sit agere de specie feudi, quod francum dicitur, adeo ut quid genus sit præsupponat; Si tamen vel in transitu, quod verosimilius videtur, dicere liceat, diffitendum non est derivationem D. Schilteri in *Comment. ad rubric. Iur. Feud. Allemm. §. 7.* & Itteri *de feud. Imperii cap. 2. §. 9.* à *fee* militare stipendium & *ode* possessionem denotantibus depromptam ipsorum feudorum origini ac primævo eorundem plane militari instituto quam optime convenire: Innuit hoc ipsa vox *feodum*, quæ in antiquis chartis passim legitur, all. Dn. ab Eiben *d. cap. 1. pag. 10.* Innuit ipsa res, antiquissimo enim tempore revera feudum nihil aliud erat quam res, fundus, aut certi reditus jure salarii sive stipendii militaris dati. Schilter. *in Comment. ad 11. feud. 50. cap. 1. §. 3.*

III. Francum an dicatur à Francis quod voluisse videtur Franzius *in Orat. pro Carolo M. apud Struv. in Syntagm. feud. p. 666.* inducens Carolum M. ita loquentem: *Quod ideo Francum vocatur quia Francis Commilitonibus meis, quorum fideli opera ac militari virtute adjutus, victoriam & regnum Italiæ affecutus sum, id primo tribui, quos a servitiis futuris propter officia prius præstita exoneravi.* Equidem non definio, cum de vera ejusdem origine, an Francis unice

adſcribenda ſit, vel, an non potius pedetentim ſtrictior illa vaſallorum obligatio vel Seniorum incuriâ, vel vaſallorum, in turbidis præſertim temporibus, arrogatâ potentia, remitti nonnihil cœperit, penitius diſpicere, ob temporis penuriam, mihi nunc non licuerit, quanquam non leviter conjecturam hanc confirmet Synonymon ejus ſalicum, quod à Francis, qui & ex parte Salii dicti, vid. du Freſne *in Gloſſar. voc. Franci* Nicolaus Schaten. *hiſt. Weſtp. lib.* 3. *p.* 145. unice petendum videtur. Quicquid ſit, certum omnino eſt, &, ni fallor, Dd. omnes uno ore affirmant à libertate, ſi non proxime ſaltem remote, denominationem ſibi aſciſcere hoc de quo agimus feudum, nam & rei, quæ immunitatem præſtat à ſervitiis, id convenit, & voci quam liberum denotare, nemo negat; Num vero, quòd volunt Zaſius *p. ult. num.* 36. Sonsbec. *p.* 4. *n.* 25. & plures alii, originem debeat Gallico *Franc.* merito ambigo, valdè enim eſt improbabile rem Germanicam, uti feudum, Populum Germanicum, uti Francicum, *conf.* §. *ſeq.* à peregrinâ appellari voce, potius intervertendum reor & Gallorum *Franc.* veterum Francorum linguæ theodiſcæ reliquias, quòd & Germanis per pleonaſmum adhuc uſitata formula: frey und franck confirmat, ſapere nullus dubito vid. ipſe Monzambano *de Stat. Imp. German. cap.* 1. §. 4. Relinquitur ergo voci germanicæ germanicam quærendam eſſe originem; Non vero & hic conveniunt Dd. alii ſimplicem nec primitivam tamen, compoſitam alii, nec primitivam eandem propugnare auſint, deſunt; Simplicem quidem ſed derivativam ſtatuit Ill. D. ab Eiben *cap* 3. §. 9. ab ipſo germanorum frey liber *free frea*, inde enim *freing* vel *fraing* & tandem contractè *franck* dictum putans: Compoſitarum varias exhibet Beſold *in Theſ. pract. voc.* freye Francken alii enim ex frey & anck, quod ſervum ſignificet, coaluiſſe volunt, quaſi, ſcilicet, à poſſeſſoribus francum diceretur feudum, plane ut alii ex frey & inck, quod incolas denotet, aut, frey

& anſi,

& anſi, quaſi freye Hanſen derivari ſuſtinent vid. præter all. Beſold. Finckelth. *diſp. feud.* 2. §. 14. Verum omnia hæc conjecturæ ſunt, & eâdem facilitate, quâ adferuntur, rejiciuntur, ut hinc ſuo quisque ſenſu abundare jure meritoque poſſit, quin tamen probabilis ac heic conveniens magis pro ſimplici, primitiva an derivativa ſit, perinde eſt, pugnans ſententia habeatur, vel ipſi poſtremum allegati, qui de Nobilibus Franconiæ freye Francken dictis, ſaltem loquuntur, haud temerè negaverint.

IV. An vero Nobiliſſima illa Francorum gens quæ ſedes olim habuit inter Rhenum & Viſurgim ut author eſt Hadrianus Valleſius *in præf. rerum franciarum* ac ex parte Albim vid. vetus ſcriptor Anonymus Ravennas, *in Geogr. operib.* Tabula Peutingeriana apud Velſerum, Philipp. Cluver. *lib.* 3. *de Germ. antiq. cap.* 20. *n.* 30. Nicolaus Schaten. *lib.* 3. *hiſt. Weſtphal. p.* 151. Gallias quoque poſtea ſubegit inde etiam nomen ſortita ſit occaſione priorum lubet quærere? Non autem recte expediri hæc quæſtio poteſt niſi de huius Populi vera origine ſimul videatur, hac enim bene intellectâ, plurimarum denominationum conjecturas in ſe corrui, ſeu tanquam ſpurias ab aliis diſcerni, vel exinde certum eſt, quod, ut ſuæ quiſque ſerviat hypotheſi, unicè excogitari ſoleant; Sic illi qui Waſtaldi, Hunnibaldi, & qui eos collegit, Trithemii errorem errant ac à Trojanis ex Moeotide pallude in Panoniam, inde in Germaniam, duce Rege ſuo Marcomiro, circa annum ante Chriſtum natum CCCC XXXIII. transgreſſis, Francos repetunt, Regem eis nomine Francum, alii Franconem appellant, à quo tota gens demum francica dicta ſit, aſſignant. Qui ad Valentiani Imperatoris tempora circa annum Chriſti CCCLXVI. Hujus Francici populi ortum demum referunt dictum putant, vel â ferocia, quia Attica ſeu Attuatica lingua *franghe* aſperum, acerbum trucem ſonat, vel ſi â libertate, neſcio quam mirabilem ejus rei rationem aſſerre ſolent,

ita

ita enim Siffridus Præsbiter apud D. Struv. *cap.* 4. §. 9. *Cum Valentianus Imperator quosdam populos qui Alani dicuntur vincere non posset fecit edictum, ut qui eos vincerent decem annis a tributis liberi essent, unde Teutonici huius gloriæ cupidi illos strenue delent, & ita Franci appellati sunt.* Qui populum hunc prima origine Gallicum, & ex Gallia magnam quondam hominum multitudinem, sese trans Rhenum in Germaniam circa Mœni ripas effudisse, & postea Rhenum transgressam antiquas patriæ sedes post liminio velut recuperasse dicunt, quin populo secundum eorum opinionem Gallico, Gallicam tribuant denominationem dubium non habet. Verior vero utique cum sit de Francorum origine, quâ Germanis adscribitur sententia, probata quippe vetustis eorum sedibus supra in principio huius §. memoratis, veteri eorundem linguâ Theodiscâ, quam etiam Carolo M familiarem fuisse, nomina mensibus & ventis imposita, satis indicant vid. Eginhardus *in ejus vita apud Lehman in lib.* 2 *Chron. Spirens. cap.* 45. ubi patriam linguam vocat, ac virorum præclarissimorum testimoniis, Procopii imprimis, qui Francos antea Germanos vocitatos, expresse non tantum scribit, sed & quos Germanos modo Francos vocat, quinquies sexiesvè, ceu observavit Magnificus D. Hertius, Promotor Patronus, & Doctor meus venerandus *in not. msstis ad Schilt. Inst. Jur. pub. lib.* 1. *cap.* 2. §. 3. adeo ut doctissimi quique Gallorum, Isaacus Pontanus, Nicolaus Vignerius & præcipuè Adrianus Valesius ultro id agnoverint. Itter *de feud. Imper. c.* 1. § 10. Vero quoque magis accedit eorundem à naturali libertate (cuius adeo tenaces fuere majores nostri, ut vel exinde libertas Germanicum Scyticumque bonum Lucano exaudiri cœperit vid. idem D. Hert. in *d. not. ad lib.* 1. *cap.* 3. §. 3.) repetita Germanica denominatio, cum enim oppressioni tum Tyrannorum tum Romanorum Gentes vicinæ essent obnoxiæ, Sicambros,

[illegible]s, Angrivarios, [illegible], A[illegible] [illegible] Chamavos, Marſos, [illegible]ctuarios [illegible] [illegible] Friſios, Chancos, Tubantes in [illegible] [illegible]nda naturali ſua libertate ſeſe ob[illegible] [illegible]ancos *thi* FRANKON fuiſſe appellatos [illegible] *de German. antiq. d. cap.* 20. add. poſt plurimo[illegible] [illegible]gat. Nicolaum Scharen *d. l. pag.* 151. 152. 153. 154. [illegible] *pag.* [illegible] Trithemii verò aſſertum tanquam nullis ſcriptorum æqualium teſtimoniis ſtipatum paſſim exploditur, negari, tamen nequit veri adhuc aliquid huic narrationi ſubeſſe, ut relative ad Wendelinum aſſerit Ob[illegible]ht *[illegible]ot. ad Monzambano cap.* 1. §. 3 & 4. nam cohortes Sicambrorum ac Batavorum, qui inter Francos poſtea non exigui nominis fuere, jam ſub Tiberio & H[illegible]ano Imperatoribus in Panoniâ fortibus inclaruiſſe factis ex Tacito & Dione docuit Magn. D. Hert. *d. cap.* 1. §. 3. ut inde poſteris quod ex Pannoniâ venerit Francorum nobilitas facile perſuadere potuiſſe exiſtimet? Non poteſt vero, ceu præter Siffridum volunt Aimonius & Roricus Monachus, Valentiano Imperatori hac in re quid tribui populus quippe Francicus, jam ante ſæculo tertio, cum Romanis contraxiſſe legitur apud Trebell. Pollionem *all. a D. Schilt. in Inſt. jur. publ. d.* §. 3. & jam tum Aureliani tempore in Galliam irrupiſſe notatur Vopiſco *apud Lehm. lib.* 1. *Chron. Spirenſ. cap.* 20. add. idem Nicol. Schat. *d. l. pag.* 148. ubi etiam hujus fabulæ originem detexit. Bodini quoque, Genebrardi, Forcatuli ac aliorum Gallorum ſententia, præter cætera, falsâ quoque nititur hypotheſi, quaſi ſcilicet in Germaniâ prima ac propria ſedes fuerit tractus terræ, qui nunc Franconiæ nomine venit, cujus contrarium tum *in pr. hujus* §. aſſertum, tum etiam ex eo conſtat, quod ille locus olim Allemanniâ dictus teſte Hieronymo in vita Hilarionis apud Scaten *d. l. p.* 148. omnino à Franica ſeparatus fuerit, nec niſi poſtea demum à Theodorico Clodovæi fi-

 lio

lio Rege id nomen una cum armis importatum eſt, ut adeo propter colonias Francicas eo deductas Franciæ orientalis, nomine inſigniri cœperit; Inde forte adhuc eſt, quod idem ſit jus Francicum & Allemanicum. Quod vero Libanius Orator & Juliani Imperatoris ævi ſcriptor ex Græcorum φϱάττω, quod ſepire munire ſonat, quaſi francti, id eſt, vallati ſeptique, ab ipſis bene geſtis rebus populum hunc denominet, & alii à Franceſca apud Germanos haſtæ militaris genere, aut etiam à Ciceronis ævo *ex Epiſt. ejus ad Atticum lib.* 14. à voce *fangones*, quod alii vertunt *frangones*, id repetant bene rejicit. d. Nic. Schaten. *pag.* 158. add. Phil. Cluver. *lib.* 2. *cap.* 21. Sed hæc occaſione vocis Franci.

V. Pergimus ad Homonymiam, denotat vero feudum francum *primo* poſſeſſiones nobiles, ſive feudales, ſive allodiales, uti de Gallia ex Tholoſano & Limnæo docet illuſt. D. ab Eiben. *cap.* 6. *Elect. feud.* §. 7. & ex Maxim. Fauſto ab Aſchaffenburgk, Itter. *de feud. Imper. cap.* 2. §. 10. Neque mirum hoc eſt, quandoque enim ipſa feuda pro bonis allodialibus, immobilibus tamen, accipi ex Covvello monet. Idem ab Eiben *cap.* 2. §. 1. Cur vero nobilia ſaltem bona ita inſigniantur, rationem addit Addition. Beſold. *in theſ. pract. voc.* frey-lehen, quia non niſi per nobiles, id eſt, homines francos, à quibus diverſi erant veteres Provinciales ac Romani Dominicy *de prærog. allod. cap.* 7. § 3. poſſideantur. Connexa huic eſt *ſecunda* feudi franci acceptio pro vectigali, cujus præſtationis beneficio plebeis rerum nobilium aperitur poſſeſſio, apud Dominicy *d. tr. cap.* 18. §. 6. cum quo an conveniat Alteſerra *de orig. feud. cap.* 10. pro cenſuali accipiens, remque ita narrans: *Poſtquam, ob varias Francorum in Syrias expeditiones, Vaſalli feuda, indultu Principum & ſuaſu Pontificis, alienantes, ea privatis ad militiam incapacibus vendidere, placuit, ne ordinum ſtatus omnino everteretur, & plebei ſe pro equitibus gererent,*

feudo-

feudorum nomine his censum imponi, *idiotismo*, droit de francs fiefs *quem in perpetuum ignobilitatis argumentum fisco inferrent*, despiciant alii. Propius ad nos spectat *tertia* qua Germanorum frey-lehen in antiquis investituris pro feudo quoque nobili capi solere scribit Itter. *de feud. Imp. cap.* 3. *§.* 6. feudum enim francum, liberum, nobile, gentile soepe pro synonimis habentur, quando scilicet fit præstatio & servitium nobile Consil. Tubing. *p.* 5. *cons.* 231. *n.* 18. hinc etiam forte est, quod apud du Fresne *in Gloss. voc. feudum militare* legitur: *feudum militare liberum.* Pro feudo quoque alienabili *quarto* sumere solent Interpretes præprimis Veteres, uti de Baldo & Decio notat Rosenth. *cap.* 12. *Synops. feud. lit. r. r.* & nisi facultas alienandi data sit, francum non esse ait Alex. in Cons. Tubing. 231. *n.* 11. nec aliter in casu quo servitia nihilominus promittuntur, ut quid operetur, capiendum esse traditur *in eod. cons. n.* 9. quod, quia mirè aliàs cum hocce nostro, quod *quinto* ratione servitiorum saltem liberum est, confunditur, probè notandum. Denique prout feudum tripliciter more JCtis, ratione entium judicarum ex jure in re & ad rem conflatarum, sunt verb. Illust. D. ab Eiben *cap.* 2. §. 3. haud insolenti, efficienter, materialiter & effective sumi solet; ita & heic usu venire potest, proinde *sexta* acceptio, quâ feudum francum pro jure, quod tum Domino tum Vasallo competit, capitur, est hujus loci.

VI. Ut autem ea, quæ absquæ servitiis beneficiario licet jure habentur, honoratius Vasallum afficiunt ac plenius D. Eiben *cap.* 3. §. 9. inde feudum francum dicitur etiam honoratum vid. charta in §. 19. add. du Fresne *in Gloss. voce feudum honoratum.* Jason. in *prælud. feud. n.* 114. ubi honorificum vocat ac solutum & *n.* 118. *in med.* gratiosum, plane prout Scotis blancum seu album, & splendidum seu lucens vocari, & in libera alba firma concedi ex Cragio observat Illust. D. Eiben. *d.*

§. 9. & *cap.* 6. §. 7. *p.* 98. Liberum quoque dicitur vid. du Fresne *in Gloss. voce feudum liberum* & vix aliter Divisio hæcce feudi §. 1. memorata quibusdam quam liberi & non liberi nomine venire solet. Hinc etiam Germanorum frene Lehen, vid. Wehn. & Besold. *in voc.* frey-Lehen. Salicum nominat Wehner. *d. l.* an. à Saliis sive Francis, aut à Germanico Salig, Selig, quod nihil aliud est, quam traditum, devotum, dededitititum uti conjecturatur *in* §. 4. *annexor. ad cap.* 6. *Eiben. Elector. feud.* derivetur non moror, Saal vero & antiquitus & hodie nihil aliud denotare, quam francum seu liberum ab omni onere putat. D. Rhet. *ad I. feud.* 1. *pag.* 83. *n.* 8. Cavendum tamen ne cum feudo franco confundatur terra salica: Ea quippe fuit portio Regi aut salio militi assignata, & ab allodio, quod proprium erat subditorum ex veteri possessione vix differebat, nisi quod fœminam ad successionem aspirare non permitteret, vid. Domin. *de prærog. allod. c.* 7 §. 4. 5. & 6. ubi ipsum Legis Salicæ titulum de allode subjungit, hinc apparet falli Ioach. Vadianum ajentem apud du Fresne *in Gloss. voc. salica terra.* terras salicas vocari, quæ ab omni servitute vacarent, quæque à Germanis frigelehen Gut vocentur, feudi etenim vox uti de Rege Galliarum qui regnum pro terrâ salicâ adhuc habet Domin. *d. l.* §. *ult.* non nisi absurdè pronunciaretur, ita quoque ne unum idemque sint quam maxime obstat diversa utriusque origo, feudum temporarium primitus erat ac precarium Altes. *de orig. feud. cap.* 1. nec nisi ruente Carolingorum stirpe jure patrimonii haberi cœpit. Id. Altes. *cap.* 2. Terram salicam vero jam ab antiquo semper in hæredes, exceptâ tamen fœminâ, transiisse patet ex vetustâ sub Ethnicis adhuc Regibus lata lege salicâ; Diversum quoque à franco est feudum jure francorum verliehen, nach Fränckischem Recht in quo de feudis tanquam allodiis disponi potest, ac ad feudum non minus fœminæ quam mares

res admittuntur servatâ modo sexus & ætatis prærogativâ D. Rhet. *ad I. feud. I. pag.* 122. *num.* 8. cui opponitur feudum Juris Longobardorum ubi non primogenitura, sed æqualis nascendi sors attenditur, nec ut in francia, ad instar bonorum allodialium feuda sunt redacta vid. Thomas de Marinis *in tract. de generib. & qual. feudor. tit.* 13. *de feud. jur. franc. & seq. de feud. jur. Longob.* In eo nimirum hujus & feudi franci differentia consistit: quod francum ad qualitatem feudi spectet, illud vero ad consuetudinem locorum. Id. D. Rhet. *d. l.*

VII. Ne vero præpostero agere videamur ordine, operæ pretium erit, perspecto nomine, immorari nonnihil perscrutandis aliorum definitionibus, per has enim uti in veram venitur rei cognitionem, ita, si scateant erroribus, non possunt non absurdæ paulatim oriri conclusiones; Definiunt vero aut potius describunt feudum francum (1) Baldus *in l. si quis de condit. insert.* quod sine fidelitate conceditur & quando proprietas est infeudata; (2) Cynus *apud Paris. de Puteo de Redint. feud. cap.* 95. *n.* 19. quod non potest incidere in commissum; (3) Julius Clarus *lib.* 4. *sent.* §. *feudum qu.* 12. ubi investitus non tenetur nisi ad servitia in investitura expressa; (4) Alii, inter quos etiam Gudel. *de Iur. feud. p.* 1. *c.* 4. §. 1. apud Rittersh. *lib.* 1. *part. feud. cap.* 4. *qu.* 26. pro quo vasallus ad nullum prorsus obsequium, nullamque operam, sed tantum ad fidem seniori præstandam est obligatus; (5) Author recuperationis terræ sanctæ apud du Fresne *in Gloss. voc. feudum francum*, & apud Domin. *d. tr. cap.* 21. § 9. quod speciali non est oneratum servitio; (6) Schnob. *disp. feud.* 2 *th.* 23. liberum ab omni servitio & onere; (7) Rosenth. *cap.* 2. *concl.* 59. *n.* 1. in quo expresse conventum est, ut nullum præstetur servitium. (8) Zasius *part.* 8. *n.* 44. & Wurmſ. *de feud. improp. cl.* 3. *sect.* 9. *n.* 2. in quo Vasallus ad servitia non tenetur, fidem ta-

 men

men domino servare debet; Alii verbis subinde aliis sensu non discrepante.

VIII. Expeditum autem cum sit feudum in uno improprium, non statim tale esse in altero, sive, ut alii efferunt, ultra expressa non degenerari Text. expressus *in* II *feud.* 48. D. Godofr. Antoni *disp. feud.* 1. *th.* 7. *lit. e.* Rosenth. *c.* 2. *concl.* 54. neque ipse Baldus *in l. ff. de rer. divis.* diffiteri ausit feudum ab omni servitio liberum in reliquis nihilominus feudum manere, vel hinc satis apparet mirabilem merito videri Jasoni *in pralud. feud. n.* 115. definitionem *primam* Baldi, aut enim per fidelitatem juramentum vasalliticum intelligit, aut ipsam fidem, sin prius separata esse servitia & juramentum ac male hinc ab uno ad aliud inferri §. 26. ostendemus, sin posterius, suppeteret tandem casus, quo feudum formali ejus ratione utcunque; peremptâ superesset nihilominus, ut in simili ait Illustr. D. ab Eiben *cap.* 11. §. 9. *pag.* 240. Cyni definitionem *secundam* ex priori propullulantem vel hinc respuendam quoque patet, vana enim utique esset fidelitas quæ tuto negligi posset, nam invitaret ad delinquendum, cum maxima peccati illecebra sit impunitas, Rittersh. *lib.* 1. *part. feud. cap.* 11. *qu.* 3. *p.* 178. Negandum tamen non est consuetudine locorum posse induci, ut feudum æquivocè dicatur, quod revera non est, vid. de Gallia §. 5. ut adeo si præfati Itali de consuetudine speciali in regno Neapolitano v. gr. (ubi in burgensaticum reducta, quod vix ab allodio differt, feuda franca consentur Paris de Puteo *d. cap.* 95. *n.* 3. & *cap.* 96. *num.* 1.) intelligendi sint, non repugnemus; Interim cavendum omnibus modis ab his & similibus hypothesibus, tanquam ex quibus haud infrequentes venire possunt falsæ conclusiones, ceu progressus dabit. Cum conditionato confundunt francum *tertiæ* definitionis Authores, quæ duo tamen maximæ diversa sunt, Rosenth. *cap.* 2. *concl.* 59. *lit. c. in med.* differunt quippe effectu tanquam magis & minus.

nus, ſive ut ait D. Tabor. *in Ichinog. Jur. feud.* §. 13. hic in totum, ibi in tantum ſervitia ſaltem remittuntur, differunt forma conſtituendi: Hoc noſtrum expreſſam requirit ſervitiorum remiſſionem *vid.* §. 28. at in conditionato, ſecundum veriorem ſententiam, poſt certa ſervitia determinata, expreſſa reliquorum remiſſio neutiquam deſideratur II. *feud.* 23. *in fin.* Roſenth. *cap.* 2. *concl.* 55. Beſold. *in theſ. pract. voce* Seß-Lehn, cum unius incluſio ſit alterius excluſio, idem Roſenth. *cap.* 8. *concl.* 21. *n.* 2. Rittersh. *lib.* 1. *cap.* 11. *qu.* 1. *in fin.* vid. Ludvvel. *Syn. jur. feud. cap.* 4. *pag.* 80. latè quoque Andr. Kohl. *de ſervit. feud. p.* 4. *n.* 152. *& ſeqq.* ubi pluribus aliis haud contemnendis rationibus hanc ſententiam confirmat. Generale vero nimis eſt in *quarta* Gudelini definitione *obſequii* nomen, quam ut eo plane Vaſallus Francus eximatur, conſiſtit quippe obſequium in honoris exhibitione & reverenti verecundiâ Richter. *de ſignif. ad verb. voc. obſequenter*, ad quæ & francus tenetur Vaſallus *v.* §. 34. & ſicut ab operis libertorum diverſa eſſe obſequia Titulorum *in ff. & Cod.* nota diſtinctio & ſeparata rerum conditio abundé evincunt, nec uno remiſſo alterum remiſſum cenſeri debet Zœſius *ad tit. ff. de oper. libert. n.* 2. ita quoque evidenter ad invicem ſeparantur in ipſâ, quam rejicimus, definitione, cujus definitum tamen ratione ſervitiorum tantum impropriari & non ultra admittimus; Procedit autem hac in re argumentum à Vaſallo ad libertum Barboſ. *loc. comm.* 64. Roſenth. *cap.* 8. *concl.* 26. *n.* 5. Rittersh. *lib.* 2. *part. feudal. cap.* 1. §. 3. In *quinta* definitione Author recuperationis terræ ſanctæ obſcurus eſt, & non ſatis diſtinguit feudum francum ab eo quod indeterminatorum eſt ſervitiorum, quippe quod feudo ſimpliciter conceſſo, tanquam proprium, præ alio intelligitur *conf.* §. 27. In *ſexta* τὸ *onere* omiſſum mallem, nam ex infra dicendis patebit, non omnibus vaſallum abſolvi oneribus, præſtat laudemia §. 33. alimen-

menta & in necessitate subvenit §. 38. Cæterum duæ postremæ definitiones tolerari ac optime conciliari hoc modo possunt, ut prior exaudiatur, quatenus feudum francum constituitur, posterior, quatenus est constitutum, nisi quod exactam magis se vitiorum à se invicem distinctionem forte quis desideraverit.

IX. Nobis igitur explicatius paulò ad mentem tamen posteriorum definire liceat: *Quod sit feudum improprium, ac perpetuum, alicui ita constitutum, ut ad fidelitatem quidem, eique innexa officia, neutiquam tamen ad servitia Domino exhibenda sit obligatus.* Illustr. ab Eiben. *c.* 3. §. 9. Verba hujus definitionis ad vasallum potissimum direximus, quia, ceu dictum in §. 6. ejus ratione plenius ac à propriâ cœterorum feudorum naturâ deflectit, plane tamen jus domini omissum non est, genus quippe quod feudum diximus & tam late patet ut utriusque jus comprehendat. D. Tabor *in Ichinog.* §. 5. D. ab Eiben. *cap.* 2 §. 3 & voces: *Domino exhibenda* ejus circa feuda franca jus liquido satis demonstrant; Asseruimus vero *improprium* ob naturalem in omni feudo servitiorum præstationem II. *feud.* 23. Wurmſ. *de feudis impropriis classe* 3. *sect.* 1. *n.* 19. *Perpetuum* tum ad mentem D. Tabor. *in d. Ichin.* §. 12. *& seq.* tum ut excluderetur feudum soldatæ gratuitum quidem sed personalissimum II. *feud.* 10. D. Goth. Antoni *disput. feud.* 1. *th.* 7. *lit. o.* Rosenth. *cap.* 2. *concl.* 75. *n.* 4. *& in not.* Zasius *part.* 12. *n.* 12. Thomas de Marinis *de gener. & qual. feud tot. tit.* 23. *de feudo personaliss.* Notanter quoque segregavimus ab officiis in ipsâ fidelitate contentis ipsa servitia strictius sic dicta, non, quod in feudo non franco possint esse absque fide, nec enim aliter, de qualicunque servitio quæstio sit, quam fideliter serviendum est, D. ab Eiben *cap.* 11. §. 12. sed quod positâ fidelitate non opus statim sit ponere vulgaria illa servitia secus ac de officiis & oneribus necessario ei connexis quæ ad differentiam naturalium,

quæ

quæ propriè nomine servitiorum veniunt, idem D. ab Eiben. *cap.* 3. §. 3. Andreas Kohl. *de serv. feud. p.* 4. *n.* 157. substantialia dici possent servitia D. ab Eiben. *cap.* 11. §. 11. *pag.* 251.

X. Sed de his pluribus infra, methodi ratio exigit ut dispiciamus de feudi franci divisionibus, & videri primâ fronte posset dividi optimè in expressum & tacitum ex tacitâ scilicet servitiorum remissione, idque vel (1) propter conditionem vasalli acquirentis, qui vel esset ad serviendum inhabilis, vel, cujus dignitati servire repugnaret, (2) propter modum acquirendi per oblationem puta & emptionem, vel, (3) ob rei in feudum datæ quantitatem, vel, (4) propter servitia adjecta tum impossibilia, tum ludicra, (5) ob permissam postea simpliciter alienationem, de quibus singulis ordine; Et quidem feudum inhabilibus ad servitia concessum, vel ideo francum quis diceret, quia tales investiens servitia, quæ præstare nequeunt, remisisse censetur, Schnobel. *disp. feud.* 3. *th.* 23. siquidem Dominus ita eis vult gratificare & suo favori renunciare Fachin. *lib.* 7. *controv. cap.* 34. *versic. tertius est articulus.* Idque ex tacitâ voluntate à necessitate sermonis conjecturatâ Hammel. *in tract. jur. feud. concl.* 6. *c.* 2. *n.* 37. Enimvero, ne jam dicam, diversa omnino esse servitia remittere & feudum francum constituere, prius enim personale est, & ad hunc verb. gr. vasallum tantum spectat, posterius vero qualitatem ad hæredes transitoriam importat, indiscrete etiam admittendum non est Schnobelis assertum, quippe inhabilis hoc casu non tam ab ipsis servitiis, quam eorum per propriam personam præstatione liberatur, per substitutum enim serviat omnino requiritur Rosenth. *cap.* 8. *n.* 10. ipse Hammel. *d. concl.* 6. *n.* 5. nam capienda est ea actus interpretatio quæ à naturalibus, quanto minus fieri potest, recedit. Kohl. *part.* 1. *de serv. feud. n.* 68. Proinde cum sit ea feudi natura seu conditio ut vasallus servire

vire non valens nihilominus per alium ſervire teneatur II. *feud.* 55. §. *firmiter* ſecundum hanc ad feudum inhabilis cenſetur admiſſus, nec enim actum ejusmodi voluntarium ultra id quod neceſſario inde ſequitur extendi & agentium intentionem egredi ratio juris patitur Kohl. *d. l. n.* 63. & 64.

XI. Feuda, quæ pares à paribus aut inferioribus recipiunt, Anomaliam quandam ac irregularitatem induere exoleſcente inter Pares nimiæ ſubjectionis reſpectu ait D. Tab. *in Comm. ad* 1 *feud.* 1. *pag.* 54. adeo ut fidei, reverentiæ, & ſervitiorum militarium obligationem hodie Capitaneis Regni denen hohen Mannen, ſi à Paribus in dignitate feuda obtineant, remiſſam cenſeri autumet Idem D. Tabor *in Ichinogr. feudali* §. 64. Eorum enim dignitati adverſari putatur ſervire ac durum dominum habere, qui ipſe ſubjectionis vinculo tibi ſit ſubjectus; Nemo equidem negat ipſam fidelitatis promiſſionem civilibus verbis temperari & per Mandatarium fieri Magnif. D. Hert. *de ſpec. Germ. rebusp. ſect.* 2. §. 31. ac ut plurimum absque juramento, ſic v. g. loco juramenti ſtipulatâ manu mit einem Handſchlag, Legatus Electoris Saxonicæ Anno 1623. declaravit: Daß wegen Ihrer Churfürſtl. Durchl. er die Lehnung acceptire, allermaſſen die vorfahrende Churfürſten von Sachſen die vom Stift Bamberg laſſen empfangen, und zweifle nicht, Ihro Churfürſtliche Durchl. werden um des Herrn Biſchofs Churfürſtl. Gnaden es mit Freundſchaft erkennen, und dem gantzen Capitul und Stift gnädigen Willen zu erzeigen geneiget ſeyn, apud Thulem. *de Octovir. cap.* 20. §. 32. add. ipſe illuſt. D. ab Eiben *cap.* 11. §. 9. D. Rhetius *ad* 1. *feud.* 1. *pag.* 69. & de Sereniſſimis Haſſiæ Landgraviis feuda ab Abbate Fuldenſi tenentibus jung. *all.* D. Hertins *d. l.* Interim tamen, cœteris paribus, Vaſallum ejusmodi ad fidelitatem, forte etiam ad ſervitia, nihilominus adſtringi ſentit Ill. D. ab Eiben *cap.* 11. §. 9. dummodo in univerſum res iſthæc eo tempere-

peretur, ne ſplendidiſſimæ dignitatis faſtigium, in quo collocatus reperitur, aliquid detrimenti patiatur, per ſubſtitutum vero ea, quæ in propria perſona fieri inconveniens eſt, expediri, Germaniæ moribus congruere aſſerit, neque obſtare putat, ita quandoque dominum ſubjici ſubdito nam prout pluribus quis fungitur perſonis id abſonum non eſſe ait *cap.* 8. §. 13. *in fine*; Nos merito heic ſubſiſtimus illud tantum addentes certum omnino eſſe non uſque adeo ſtricte ſecundum ordinariam feudorum naturam cuncta heic æſtimari, poteſtati enim territoriali per nexum feudalem nihil decedere, à vaſallis ſub feuda tenentibus ſervitia feudalia non immediato feudi Domino ſed Imperatori præſtari, eumque ſi de ſuperioritate lis ſit eſſe judicem, non Pares pluribus docuit Magnif. D. Hert. *d. diſſ. d. ſpec. rebus p.* 5. §. 31.

XII. Si rem propriam in feudum quis offerat dubitare quis poſſet numne feudum francum eo ipſo ſit conſtitutum, ſane Weſembecius & Beſoldus *in Theſ. pract. voc.* aufgetragen Lehn, feudum oblatum protectionis magis quam feudi naturam habere, & offerentes oneris quam minimum ſubire voluiſſe contendunt, quaſi nobiles, v. gr. non eo intuitu res proprias in feudum obtuliſſe cenſendi ſint, ut præjudicium ſibi generare velint, ſed ut abundantiori ſibi cautelâ provideant Wurmbſ. *cl. d.* 3. *feudis improp. ſect.* 8. *n.* 7. ſed exinde non ſequitur ergo offerentes ſeſe non obligaſſe ut alios vaſallos, quippe hæc præſumptio ut valde levis excluditur per id ipſum quod oblatio rei facta ſit non ſimpliciter, non in potectionem, ſed in feudum, quid vero feudum ſit ipſo auditu ſtatim ingeritur, neque enim in actu inveſtituræ, conſiderantur amplius ut offerentes & accipientes, ſed potius ut Domini & vaſalli quatenus in feudali habitu æſtimantur Magnif. D. Hert. *part.* 2. *de feud. obl.* §. 37. inde oblata feuda in effectu ſane æque propria (& non franca) nuncupantur ac quævis alia

lia D. Rhet. *ad* 1. *feud.* 1. *pag.* 49. D. Hert. *d. p.* 2. §. 2. Feudum vero quod prævià emptione venditione simpliciter constituitur, si pretium tanti sit, quanti valeret si esset allodium vel à servitiis immune, francum esse pluribus ostendere nititur Kohl. *de servit. feud. p.* 1. *n.* 22. & *seqq.* nam cum ex quantitate pretii atque valore rei quid quale quantumve sit venditum arguendum veniat, dominus feudum sine servitiorum onere conferre potuerit, nemoque suum voluisse jactare præsumatur, tacite actum putat ne ad servitia hoc casu vasallus teneatur, sed cum ex plerorumque sententià feudum emptum vel proprium sit vid. D. Rhet. *ad* 1. *feud.* 1. *pag.* 132. D. Strick. *cap.* 4. *Exam. jur. feud. qu.* 14. vel si improprium, non, quia domini aut vasalli jus alterat, sed quia irregularitatis quid invasit contrahendi modum, seu ut loquar cum Magn. D. Hertio *d. l.* §. 1. non ut constitutum, sed ut in actu constitutionis, latè sc. acceptæ, consideratum pro tali habeatur, atque ita satis appareat quid emere vendere contrahentes voluerint, ut hinc theoricæ priori, ut eam vocat Kohl. *d. l. n.* 22. locus non sit, ipse Kohl. *d. l. n.* 32. merito contrarium judicatur verius, naturalia enim non expressa insunt feudo, nec contrahentium mens aliud heic suadet, quippe non necessario sequitur feudum tanti emptum ac francum, ergo est francum, potuit enim hoc ignorasse emptor, potuit affectionem in rem habuisse, aut etiam si scivit superfluum voluisse donare, quod forte quia clarius legem non dixit, haud temerè quis diceret, si enim sciens verum rei pretium minoris vel majoris emat, vel vendat, donare videtur. Compend. Jur. Lauterb. *ad tit. de rescind. vend. pag. mihi.* 342.

XIII. Ob exiguam rei feudalis quantitatem non ita præcise ad servitia vasallum obligari volunt Scrader. & alii allegati à Rosenth. *cap.* 8. *concl.* 7. *lit. s.* ast, quia nuspiam jure feudali hoc constitutum legitur, & feudum

licet

licet modicum, eo ipſo, quia eſt feudum importat neceſſitatem ſerviendi niſi remiſſa probetur, accedit textus in I. *feud.* 6. *mutus* quem de feudo modico etiam agere arguunt verba: *Sed ſi feudum fuerint magnum* &c. à contrario in dubio non recedendum Roſenth. *d. l. n.* 16. Kohl. *de ſerv. feudal. p.* 1. *n.* 103. Nec eſt quod vereatur ne ſervitium pro feudo modico ſit nimium, pro quantitate enim feudi illud moderandum venit, quinimo ſi tam exiguum ſit feudum, ut pro eo militare ſervitium exhibere ſit nimis grave, inæqualitatis evitandæ gratia pro ſervitio pecunia ſecundum quantitatem beneficii præſtanda admittitur. Kohl. *d. l. n.* 104.

XIV. De eo vero ſi ſub impoſſibilibus de jure vel facto ſervitiis feudum conceſſum diſquirendum ſequitur; Ubi quidem de nondum tradito quæſtio non eſt, quippe quod ipſo jure nullum actionem non parere, inter tantum non omnes conſtat *arg. l.* 123. *de verb. oblig.* Roſenth. *cap.* 6. *concl.* 32. D. Godof. Antoni *disput. feud.* 4. *th.* 7. *lit. g.* D. Struv. *cap.* 11. *Syntagm. f. aph.* 5. *n. ult.* niſi prout limitat Kohl. apud Struv. *d. l.* ultra conſueta ſervitia illicitum aliquod promittatur, ut tum, ne utile per inutile vitietur, pro non adjecto habeatur; Quoniam autem utriusque vel dantis ſaltem turpitudo ut plurimum heic vertitur, traditum jam feudum & acceptum repetitioni ſubtrahunt plerique vid. præter allegatos omnino Niellius *diſp feud.* 4. *th.* 5. *lit. b.* ubi egregiè contra Laudenſem evincit *l.* 5. *Cod. de cond. ob turp. cauſ.* de cauſâ ejusmodi turpi haud intelligendam eſſe, cum milites non ſimpliciter ſed tum demum, ſi aduerſus eorum perſonam excipiatur, procuratores eſſe vetentur *l.* 5. *§.* 2. *ff.* & *l.* 13. *Cod. de procurat.* ſed anne ergo hoc caſu feudum francum erit, an proprium? prius affirmat Niell. *d. l.* ſi hoc actum fuit ut tantum turpe illud ſervitium præſtaretur & conſentire videtur D. Antoni *d. l.* dicens *manere feudum, ſed francum, vel tale quale tur-*

 pium

pium in honesta mutatorum servitiorum fert natura, accedit ratio ex præsumpta mente contrahentium qui impossibilem modum scientes donasse videntur *arg. l.* 53. *de Reg. Jur.* posterius vero indistinctè affirmant Struv. Rosenth. all. Liber Baro Schenck. *ad* II. *feud.* 2. §. *praeterea* quod & verius est ac communiús, quippe quod suadet tum contrahentium voluntas, quæ, quamvis stulta, donationem tamen heic excludit, postquam certissimi juris est causæ cuivis, etiam fatuæ, ut loqui amant Dd. hunc tribui effectum, tum ipsa feudorum communis natura Locamer. *qu. feud.* 99. nam vitiatur impossibilis conditio & relinquitur feudum quasi simpliciter concessum; De ridiculis servitiis, quo pertinet v. g quod quidam avicularum illam minimam vulgò ein Königlein oder Zaunschlipferlein quot annis offerre, vel certo tempore coram dominio cantilenam cantare teneatur vid. omnino Limnæus *tom.* 4. *addit. ad lib.* 4. *c.* 7. *p.* 601. *& seqq.* add. Altesserra *de origin. feudor. c.* 10. illud saltem addendum si honestas aut alia non obstent omnino esse præstanda. Id. Limn. *d. l. pag.* 604. ut hinc hypothesi nostræ feudum francum tacitum vix agnoscenti nihil metuendum.

XV. Quia creditor in pignoris alienationem consentiens id remisisse censetur *l. fin. Cod. de remiss. pign.* dubium adhuc movet Paris de Puteo *de redint. feud. cap.* 267. de domino sine sui juris reservatione in vasalli alienationem consentiente, num eo ipso feudum francum constituisse videatur? & cum ad non cogitata non extendatur consensus, isque accipiendus sit secundum substratam materiam, & secundum naturam rei super quâ interponitur Kohl. *de serv. p.* 4. *n.* 97. & hinc alienationem fieri sub clausulâ salvis juribus etiamsi non dicatur asserat Rosenth. *c.* 9. *concl.* 18. *n.* 8. bene id negat all. de Puteo *d. l. num.* 6. add. omnino Kohl. *p.* 1. *de serv. feud. n.* 50. *& seqq.* ubi id etiam ampliat in casu quo pro immuni-

immunitate æqui valens pretium eſt datum, & ſane diverſa eſt pignoris & feudi hac in re ratio, illius, quod & inſalutato creditore alienari poteſt, alia quam remiſſionis cauſa eſſe nequit, huic ſub pœnâ nullitatis neceſſarius domini conſenſus pro ratione ſufficiat, in dubio enim quis conſentire videtur ſaltem ut contractum confirmet, non ut juri ſuo renunciet. id. Kohl. *d. l. n.* 54. Si vero ipſa etiam ſervitiorum immunitas expreſſim convendita ſit, ſimplex domini conſenſus ſufficiet, modo tamen ſi emptio venditio interceſſerit regreſſus ad conſequendum immunitatis pretium contra vaſallum venditorem, quem cum damno domini locupletiorem fieri iniquum foret, non occludatur, præprimis cum conſenſus faciat, ne de evictione venditor conveniri queat. Id. Kohl. *d. l. n.* 58. Sed antequam hinc abeamus aliæ adhuc dubitationi obiter eſt occurrendum, cogitare enim quispiam inſuper poſſet feudum ex præſcriptione præſumptum quod & nos §. 27. admittimus eſſe tacitum; Enimvero diverſa eſſe tacitum & præſumptum *ex tot. titul. Inſt. de oblig. quæ ex qu. cont. naſc.* manifeſtum eſt, illud ex ipſo contrahentium facto immediatè oritur, hoc vero legem agnoſcit authorem, & factis non adeo directè conſenſum inferentibus, mediatè ſolum, & non ſemper nititur vid. Maier. *ad inſt. d. tit. pag.* 834. add. prolixè Thomaſius *in jurispr. divin. lib. 2. cap. 7. §. 19. & ſeqq.* deinde præſcriptio in ſtatu certe civili non tam fundatur in tacitâ quâdam voluntate, quam æquitate, lege ac ratione politicâ.

XVI. Altera diviſio in plenum & minus plenum ſive francum in ſpecie & conditionatum, ex ſupra §. 8. rejectâ tertiâ definitione fluens, non minus eſt incongrua, ab omnibus enim ſervitiis plane liberat feudum francum, ad ſervitia, quamvis determinata, obligat conditionatum. quomodo vero feudum ab omnibus ſervitiis liberum aliud ſervitiis oneratum continere poterit?

terit? Sane licet negandum non ſit feudo, quod convenientes de certis quibusdam ſervitiis francum nihilominus in inveſtiturâ vocant, ſervitia ineſſe Roſenth. *cap.* 6. *qu.* 39. *lit. c.* inde tamen hujusmodi feudum revera francum eſſe haud putaverim, nam, quamvis hæc res dependeat ex voluntate contrahentium receptum tamen cum ſit moribus, ut feudum francum vocetur quod omninò à ſervitiis liberat, magis attenditur natura actus & id quod actum eſt quam denominatio partium *arg. l.* 63. *ff. de donat. mort. cauſ.* Nimirum potius pro conditionato habendum, prout enim quando evenit ut inveſtitura vocet feudum proprium vel rectum, quod tamen tale non eſſe dilucidè conſpicitur, quoad omnia neutiquam redditur proprium, ſed, quia in reliquis non mutatis flexum non eſt, ita inſignitum ſuſtinetur Roſenth. *cap.* 2. *concl.* 65. *n.* 4. conſimiliter quoque vox *francum* quod vaſallus ad non expreſſa hoc caſu, quod proprium eſt conditionato, haud teneatur, ſolum inſinuat.

XVII. Diviſiones, quæ alias feudi ſunt in genere etiam huc ferè quadrare poſſunt, ſic aliud eſt novum aliud antiquum, aliud ſæculare, aliud eccleſiaſticum, aliud nobile aliud ignobile, aliud ligium & non ligium, nimirum diviſiones iſtæ, quæ æque frequenter feudo adſunt vel abſunt, poſſunt applicari tam feudis propriis quam impropriis Roſenth. *cap.* 2. *concl.* 65. *n. ult.* Imo ceu monet idem Roſenth. *d. l. n.* 4. inter feuda degenerantia gradus quoque ſunt conſtituendi, & aliquod in uno ſolo, aliud tribus, aliud quatuor aut quinque degenerare haud infrequenter ſolet; Idem quoque circa francum contingere poſſe nemo non videt, poteſt eſſe ſimul fœmininum, hæreditarium, alienabile, ſed quia hoc eſt ex accidenti, ad nos non pertinet.

XVIII. Hiſce ita præmiſſis, ne in vanum deinceps agere videamur, an detur tale quale definivimus feudum

dum francum prius tractare necesse est, quam ad alia veniamus, præjudicialis vero cum sit quæstio: an servitia inter feudi substantialia sint connumeranda? quippe ex quâ dependet an salvo feudo ea remitti possint vel non, videndum de ea prius; Non vero operosi jam erimus in demonstrando ac præmittendo discrimine substantialium & naturalium, quod Neotericorum quidam ut ait Wurmſ. *de feud improp. cl.* 1. *sect.* 3. *n.* 1. agnoscere verentur, videri possunt præter all. Wurmſ. D. Gothof. Antoni *disp. feud.* 6. *th.* 2. *lit. c.* Rosenth. *cap.* 2. *concl.* 53. D. Struv. *cap.* 2. *aph.* 4. *& seqq.* Ad feudi substantialia autem servitia referunt Petrus de Ravennas *in tom.* 10. *Tractat. p.* 2. *pag.* 24. Alexius, Molina, Menochius apud Vultej. *lib.* 1. *de feud. cap.* 6. *num.* 13. per textus *in* II. *feud.* 21. & 23. nam dicunt servitiorum causam esse feudi finalem, ejusque definitionem ingredi, quod signum sit essentialium Naturalibus adscribunt communiter vid. Rosenth. *cap.* 2. *conc.* 49. *n.* 4. Vultej. pluribus *d. l.* Wurmſ. *de feud. improb. cl.* 3. *sect.* 1. *n.* 29. D. Struv. *cap.* 11. *aph.* 4. *n.* 1. D. Gothof. Antoni *disp. feud.* 7. *th.* 2. *lit. c.* Et sunt textus elegantes *in* II. *feud.* 55. §. *primi-* & II. *feud.* 26. §. *Si quis decesserit* ubi servitia quandoque à feudo abesse docetur, certo signo, non requiri ad ejus substantiam, quippe quâ peremptâ substantiatum manere nequit, videat. pluribus Kohl. *de servit. feudal. part.* 4. *num.* 90. & 91. & sane de servitiis stricte ita dictis aliter esse non potest, quoniam autem eleganter ait Rittersh. *lib.* 2. *partit. feud. cap.* 1. *qu.* 5. *Frustra fidem & reverentiam vasallus jactitaverit si non re ipsa eam declaret* & ex Oldrado referat Rosenth. *cap.* 8. *concl.* 8. *n.* 1. officia in fidelitate contenta neutiquam remitti posse add. Kohl. *de serv. feud. part.* 4. *n.* 157. excipienda hinc erunt cum Ill. D. ab Eiben *cap.* 11. §. 19. officia illa & munera in quibus fides vasallitica consistit, ita ut hæc sine illis vere mortua habeatur, tantumque abest, *sunt verba Eibenii*, ut eâ inten-

 ten-

tentione eâque lege, ne talia servitia præstentur, feudum constitui queat, ut jam pridem rité constitutum, ex quo iis præstandis inhabilis factus vasallus, perdat feudum, jung. itidem Kohl. *d.p.* 4. *n.* 91. *in fin.* quæ servitia ad differentiam aliorum, jam *in fin.* § 9. diximus substantialia, deque his agetur pluribus infra §. 37. & 38. Hinc apparet quid habendum sit de sententiâ Giphanii *cap.* 4. *n.* 41. ajentis, vix esse ut moribus nostris feudum sine opere reperiatur, equidem verum nullum esse feudum sine fide, nec fidem sine opere, sed nec minus verum est moribus nostris non ignorari feuda, quæ & actu sint, & esse possint naturalibus destituta servitiis D. Eiben *c.* 3. §. 9. Idem esto judicium de Jac. Andreæ & P. Loriottæ opione apud Rosenth. *cap.* 2. *concl.* 59. *lit. a.* de qua etiam vid Ludvvel. *Synop. jur. feud. cap.* 4. *pag.* 78.

XIX. Non obstat vero ipsos textus nominatim hic silere Sonsbec. *part.* 3. *n.* 25. nam res ipsa clare satis fundatur in II. *feud.* 48. Wurmsf *cl.* 3. *sect.* 9. *n.* 5. & *seqq.* accedit cap. extraord. in II. *feud.* 104. cui ratione existentiæ, tanquam de facto consuetudinis attestanti, ubi unico etiam JCto quandoque creditur Zœs. *ad tit. ff. de ll. sctis. & consuet.* omnino credendum est, ne dicam, posito quoque textuum feudalium hac in re silentio malè nihilominus ad non existentiam concludi, demum etiam ipsa experientia rerum omnium optima magistrâ dicta satis confirmat, Curias nobilium in Franconia Orientali feuda franca esse ait Gemmel. apud Wehn. *in pract. observ. voce* frey-Lehen D. Godof. Antoni *disp. feud.* 1. *th.* 7. *lit. l.* pleraque plebeia in Germania eo refert Ludvv. *cap.* 4. *syn. feud. p.* 79. Imò Imperii nostri feuda his annumerare videtur Textor *de rat. stat. Germ. cap.* 2. *p.* 21. *seq.* Si de auxilio atque ope Cæsari contra hostem ab Imperii vasallis præstandâ quæstio sit quidquid hujus est valde leniter & persuasorio modo agi affirmans, adeo ut & in ipsis comitiis subinde vota auxi-

lium

lium atque opem expressa denegantia audire soleant, utut ita contingere quandoque possit, merito tamen de eo dubitat Itter. *de feud. imper. cap.* 20. §. 7. si de jure loquamur, nam invictissimo Cæsari opes auxilia præstanda esse juramenti vasallitici formula satis innuit add. pluribus Miletus ab Ehrenbach *de Princip. ac Stat. Imp. R. G. p. 2. cap. 69. per tot.* In Scotia quoque eorundem frequentissimus usus ceu ex Cragio docet illustr. ab Eiben *cap.* 3. §. 9. De Hispania vid. du Fresne *in Gloss. voce feudum honoratum*, ubi refert pactum inter Petrum Arragoniæ & Jacobum Majoricarum Reges anno 1278. initum: *Nos Jacobus recipimus a vobis D. Petro Rege Arragonum fratre nostro & successoribus vestris Regibus Arragoniæ, in feudum honoratum sine omni servitio totum prædictum regnum Majoricarum.* Aliam chartam de anno 1469. de Comitatu Ripacurtiæ exhibet Dominicy *de prærog. allod. cap.* 21. §. 9. De Galliâ extat charta apud eundem du Fresne *voce feudum francum*, de anno 1295. *Prædicta vero omnia idem D. Bertrandus & ejus successores tenebunt a D. Rege & ejus successoribus Regibus Franciæ in feudum francum & honoratum, sub homagio ligio & fidelitatis juramento.*

XX. Franca autem feuda, plane ut alia, quisquis, qui liberam rerum suarum administrationem habet, elargitur. Non obest rustico ad militiam minus idonea capacitas, quippe quæ feudo quamvis originem dederit, eo tamen semel constituto amplius necessaria non est vid. pluribus D. Rhet. *ad I. feud. 1. pag.* 125. *& seqq.* D. ab Eiben *cap.* 9. §. 9. addens præprimis in feudo franco ubi servitia plane non attenduntur, de eo dubium non esse, bene tamen monet D. Schilt. *ad jus feud. Allem. cap.* 3. §. 7. feudum hujusmodi esse analogicum & propter deficientem jurisdictionem ad Emphiteusin accedere, add. etiam ipse D. Tabor *in Ichinogr.* §. 24. Nec removet (a) privatum ea bona oneribus publicis eximi, &

 Magi-

Magiſtratus jurisdictionem plerorumque locorum impediri, D. Rhet. *d. l. pag.* 47. Nam non ubique obtinet ut res feudales ab oneribus hoc ipſo, quod tales ſint, liberentur Magnif. D. Hert. *p. 2. de feud. obl.* §. 19. ſeparata enim omnino ſunt onera ſubditorum & ſervitia vaſallorum, ab his vaſallus francus liberatur non ſemper ab illis, deinde ipſo jure cœteris tamen paribus feudum ſequitur jurisdictio vid. ipſe D. Rhet. *pag.* 126. plane ut nobilitas de jure Romano plene adoptato, non quidem tanquam à privato, ſed vi legis communicabatur, vid. Maier. *ad inſt. p.* 228. An vero Minor tutore authore & decreto interveniente feudum francum conſtituat magis dubitatur, cum vix à donatione, quæ nec ita validè fieri poteſt, *l. 22. ff. de admin. & peric. Tutor.* differat, ſane quamvis Struvio *cap. 5. aph. 4. n. 1.* concedatur dignitatem pupilli quandoque exigere ut habeat vaſallos, quin tamen ſervitiis eximantur, tam abeſt ut ad concedentis domini dignitatem faciat, ut potius eam minuat, ſed reſpiciendum hic eſt ad feudi tractationem præambulam, quæ ſi ſit emptio venditio aut contractus alius oneroſus tutore authore feudum francum dari poſſe dubium non eſt, ſi lucrativus, feudum tale ita vix conſtituitur.

XXI. Quod de dante modo dictum, idem quoque uſu venit in accipiente, ut qui non inveniatur excluſus cenſeatur admiſſus, nec præ cœteris ſpeciale quid eſt in pupillo, quaſi nempe ſimpliciter conditio ejus melior heic redderetur *arg. §. 1. Inſt. de auth. tutor.* nam & fidelitas & innexa eidem officia à vaſallo franco præſtari debent, nec forte integrum ſemper eſt, ne dicam utile, alterius fidei ſeſe mancipare, adeo ut & hoc intuitu obligatio unilateralis, plane ut in aliis feudis vid. D. Strick. *cap. 6. qu. 13.* tantum heic noſcatur. Filio familias quoque dari poſſe eſt extra controverſiam, ſed numne imputatur in peculium caſtrenſe an adventitium?

tum? prius quidem de feudo in genere aff. Struvius cap. 5. aph. 15. n. 4. Finckelth. disp. feud. 5. th. 20. n. 2. sed quia rationem decidendi in ordinaria servitiorum militarium obligatione ponunt, atque ita respectivè ad divisionem in non francum & francum pro famosiori stant analogato, non erunt in hoc feudo ut credo, contrarii, dummodo, quod omnino vult all. Struvius, factâ servitiorum remissione Patri non adjudicetur ususfructus seu, quod eodem recidit, cum Lauterbach. diss. de pecul. advent. irreg. th. 17. Grassov. de caus. feudal. sect. 3. §. 5. ad peculium adventitium irregulare referatur, quod & utique verius, siquidem feuda non alii debent acquiri quam ei quem dominus ipse idoneum judicavit, feudi etenim natura est, ut ususfructus ita ad accipientem transeat, ut ad eum hæredesque suos in perpetuum pertineat II. feud. 23. add. Vultej. lib. 1. de feud. cap. 4. n. 4. Locam. qu. feud. 24. dissent. Sonsbec. p. 7. n. 8. Niell. disput. feud. 2. th. 5. de quorum argumentis in conflictu videbimus; Nuncupari vero quandoque solet ejusmodi vasallus francus frey-Holder & liber tenens vid. D. Eiben cap. 3. §. 9.

XXIII. Objectum sunt res emolumentum aliquod proferre idoneæ Ill. D. ab Eiben cap. 10. §. 1. corporales æque ac incorporales regulariter tamen propriæ, de alienis quidem idem sentiunt Antoni disp. feud. 3. th. 3. lit. [illegible] Rosenth. cap. 4. concl. 11. Rittersh. lib. 1. part. feud. cap. [illegible] 14. per textus in II. feud. 8. & 25. contrarium tamen possit videri verius, quia feudi datio fit conventio dominii translativa, Magn. D. Hert. diss. de conv. dom. translativis 3. quæ rem propriam desiderat, & inanis foret hoc casu promissio, utpote de re potestati suæ vel facultati non subjecta D. Rhet. in Comm. ad I. feud. 9. p. 358. quinimo si res feudalis, in quo directum tamen dominum quis habet, purè infeudari nequit I. feud. 9. quo magis in re prorsus alienâ id prohibebitur? Hinc etiam sequi-

tur vaſallum antequam verus dominus ſuperveniat ut aliud feudum conſtituatur poſſe agere *arg.* §. 8. d. D. Hert. *diſſ. de conv. dom. transl.* add. Franck *de evict. n.362.* Non obſtat II. *feud.* 8. ibi enim non tam res aliena admittitur, quam quo modo quandoque ſuccurratur per eum decepto (ratione cujus utique feudi datio valet *arg.* §. 10. *d. diſſ.*) proponitur; Textus in II. *feud.* 25. requirit quidem litis denunciationem, ſed tum demum ſi de evictione cum domino agendum ſit; & ſane fruſtra Dd. all. heic inſtituunt comparationem cum emptione venditione, rationem enim, quæ in eâ obtinet ſpecialitatis & unice vertitur in libertate ac favore commerciorum vel fatente ipſo Rittershuſio *d. l.* ne, ſcilicet, propter dominium incertum à quotidiano hoc contractu & humanis rebus maximè neceſſario abſterrerentur homines, huc non quadrare oppido manifeſtum eſt; An vero evictioni feudum francum ſubjiciatur? dubium facit major in hoc feudo vertens gratia, quæ & gratioſi nomen quaſi per excellentiam ei peperit *vid.* §. 6. & mirum ſane eſſet ac durum nocivam eſſe domino liberalitatem, ut etiam in id teneatur quod non habet, præprimis cum hoc caſu mera potius ſit donatio quam feudum Rittersh. *lib.* 1. *part. feud. c.* 4. *qu.* 27. Nec obſtat quod Cragio indiſtincte id neganti reponit D. Schilt. *in Comm. ad jus feud. Allem. cap.* 66. *n.* 2. quia vaſallus ad ſervitia ſit obligatus viciſſim dominum ad evictionem obligari non eſſe abſurdum, agimus enim de feudo, ubi ſervitia exulare multoties modo dictum, verum cum, ſi donationi feudum comparandum ſit, non ſimplex & mera ſed ob cauſſam non præteritam ſed futuram, vel etiam utramque ſimul, intelligatur Fransk. *d. l. n.* 517. nam & feudum francum ob fidelitatem eique innexa officia datum eſſe debet, tutius forte regulæ in text. II. *feud.* 8. & 25. inſiſtimus.

XXIII. Res eccleſiaſticæ quoque ac ſœculares huc veniunt,

veniunt, nam è feudis ecclesiasticis, quæ ratione objecti ita dicuntur D. Strick. *cap.* 3. *qu.* 23 & *seqq.* alia esse libera quæ nec censum nec servitium militare debent, alia non libera tradit Alteserra *de orig. feud. cap.* 4. dummodo debitæ solennitates interveniant & Prælatus consensum capituli adhibuerit, non enim Prælatus feudum ecclesiasticum proprium simpliciter haud attentis prioribus conditionibus in francum mutare potest, nam, licet esset res infeudari solita, quia tamen non reinfeudatur solitè, haud valeret, vid. D. Strick. *cap.* 5. *q.* 6. contra antiquam enim consuetudinem ab administratore interponi concessio non debet D. Tabor *ad* I. *feud.* 1. *pag.* 37. Gudel. *p.* 2. *cap.* 1. §. 6. quod vero idem D. Tabor *d. l. pag.* 40. monet posterioribus temporibus postquam exemplo sœcularium Principum ab Imperatore investiri quoque cœperint liberiorem de feudis concedendis facultatem sibi arrogasse, ac sine capituli consensu alienationem vasallo permisisse, catholicum non est, ut ipse §. *seq.* fatetur, & in facto, quod probandum, consistit, in dubio vero standum juri canonico quod prælatorum alienationem capituli consensui adstringit. Sicut Allodiales ita feudales quodammodo & suas heic implent partes, nihil enim impedit dominum expectativam, ut vocant, concedere feudi tanquam franci quod pro proprio possidet vivens adhuc vasallus, nam quod rejicitur in casum quo possidens nullum amplius jus est habiturus, consensum ejus non requirit. D. Strick. *cap.* 12. *qu.* 27. Vasallo vero ad servitia obstricto rem feudalem minime alteri subinfeudare licet ne teneatur ad servitia Kohl. *de subinfeud. cap.* 2. *n.* 19. iisdem enim pactis, non durioribus quibus accepit, is qui concedit, subfeudum dari debet II. *feud.* 34. §. 2. *v. profecto*; An vero & quatenus vasallus francus subinfeudet exponetur infra §. 36.

XXIV. Bona quoque Imperii feudo franco apta-

ri

ri posse est extra controversiam, modo diligenter observetur hodie absque consensu statuum id vix posse fieri, anterioribus quidem temporibus liberam fuisse Imperatoris potestatem docent privilegia ab expeditionibus romanis liberantia; Ita apud du Fresne *in Glossar. voc. expeditio* Ecclesiæ S. Salvatoris Francofordiensi Carolus Crassus rescripsit: *Et ab illo Abbate, cui prædicta capella commissa fuerit, nulla unquam hostilis expeditio exigatur, nec ullus ei inde quicquid aufferre præsumat.* add. de Castro Fridbergensi Itter. *de feud. Imperii cap.* 10. §. 6. Postquam vero in servitiorum locum collectæ imperiales successere, uti ex Wehnero eleganter docuit all. Itter. *cap.* 21. §. 2. add. Kohl. *de serv. feud. p.* 6. *n.* 42. harumque tractatio & indictio per Inst. Pac. Westph. *art.* 8. §. *gaudeant* & Capit. Augustissimi Imperatoris Leopoldi *art.* 14. inter comitialia expressè relata fuit vid. Itter. *d. l.* §. 11. & 12. mirum non est eosdem, qui imperiales collectas imponunt, ab iisdem immunitatem præbere Itter. *d. l.* §. 13. Klock. *de contribut. cap.* 16. *sect.* 1. *num.* 39. *& seq.* De Principibus vero Imperii sæcularibus, num in territoriis suis, quæ jure feudi habent ab Imperatore & Imperio, libere, non attentis conditionibus queis ipsi sunt devincti, feudum etiam francum constituere valeant? affirmare videtur D. de Rhetz. *ad* I. *feud.* 1. *pag.* 78. Ob summum enim eorum superioritatis territorialis jus Majestatis æmulum pauca vel nihil ex Longobardico onere vasallitico superesse putat. Enim vero cum istis subinfeudationibus clausula quoque: allermassen wie sie vom Reich ergangen, uti vulgò loquuntur, inesse debeat Klock. *de contrib. cap.* 4. *n.* 277. Itter. *de feud. Imper. cap.* 22. §. 6. ad hoc immunitas generaliter data ad servitia Imperialia, in quorum locum collectas imperiales successisse dictum, non pertineat *R. I. de anno* 1582. §. und demnach 11. Juri quoque feudali communi an non hac in parte insistendum dixerint alii.

XXV.

XXV. Tandem de re mobili videndum, in qua ſi experientiam conſulamus, feudum conſtitui tralatitium eſſe ait Magn. D. Hert. *p.* 2. *de feud. obl.* §. 20. impropriari vero exinde certiſſimum quoque eſt vid. omnino Wurmſ. *de feud. improp. cl.* 3. *sect.* 4. Finckelthſ. *disp. feud.* I. §. 3. ſive vero dicas valere ejusmodi conventionem jure contractus innominati (quod volunt Roſenth. *cap.* 4. *concl.* 7. *n.* 8. Hammel. *tract. jur. feud. cap.* 1. *concl.* 2. *n.* 11.) ſive jure feudi improprii, perinde eſſe ſentire videtur Hermes. *ad Weſemb. tract. feud. cap.* 7. *num.* 8. *lit. d.* & ſane probabile admodum id facit non heic admitti pœnitentiam tum ex ipſa Roſenthalii confeſſione, tum ex moribus Germanorum, qui adeo tenaces fuere fidei, ut ne quidem in contractu innominato pœnitere licuerit; D. Strick. *in Uſu Mod. ad tit. de pact.* §. 5. Diſtinctionem vero Niellii *diſp. feud.* 3. §. 3. *lit. a.* inter res mobiles viles & pretioſas, in poſterioribus non francum, utrobique vero francum conſiſti exiſtimantis, quia in priori ad feudum proprium reſpicit, indicaſſe ſaltem ſufficiat.

XXVI. Sequitur de modo conſtituendi & acquirendi feudum francum agamus, ſicut vero conſtituere dupliciter ſumitur, latiùs & ſignificat omne id quod quoque modo, etiam remotè, pertinet ad conſtitutionem adeoque & promiſſionem antecedentem comprehendit, vel ſtrictè ipſam juris conſtitutionem, quæ duo differunt ſicut jus ad feudum & ipſum feudum, prius enim prior operatur ſignificatio, poſterius poſterior, ita non minus utraque heic applicari poteſt, teſtamento vel pactis, aut contractibus venditione v. gr. & permutatione feudum francum legari, promitti, vendi, & ut habet text. *in* II. *feud.* 25. in cambium dari quid vetat? ſane cœteris paribus quovis modo de re ſua diſponere omni jure eſt licitum, *arg. l.* 23. *C. mand.* ſed cum diſpoſitiones hujusmodi aut præparatoriæ conventiones

nes jure civili unicè æſtimentur, facti potius quam juris quæſtionibus ſint aſſignandæ Ill. D. ab Eiben *c.* 4. §. 6.*n.*8. feudi naturam non ingrediantur nec neceſſario ſemper adſint; D. God. Antonii *diſp.feud.* 4. *th.* 1. de eis tractare hic ſuperſedemus, potius quod alterius eſt ſignificationis, de Inveſtitura, qui proprius genuinus ac unicus fere feudi conſtituendi modus haberi ſolet vid. D. Eiben *d.l.* §. 7. Weſemb. *p.* 7. *conſ.* 321. *n.* 3. quatenus ſpecialia circa hancce feudi ſpeciem habeat videndum.

XXVII. Eſt autem inveſtitura alia prima alia iterata, D. Tabor *in Ichinogr. feud.* §. 28. illa vel vera vel præſumpta, de ſingulis ordine, circa veram igitur diſtinctè communia primum, quatenus, ſcilicet, quæ pro ſpecialibus quidam venditant, pro talibus minus rectè haberi dicetur, verè ſpecialia dein diſtinctè conſiderabimus; ſupervacaneum vero foret de inveſtituræ definitione, origine, diviſione ac effectu pluribus diſſertari vid. omnino Ill. D. ab Eiben *cap.* 4. & 5. & quæ in compendio ex eo excerpſit Magn. D. Hert. *part.* 2. *de feud. oblat.* §. 33. nihilque refert an inveſtituræ vocabulo latius pro toto negotii feudalis complexu accepto vid. D. Eiben *cap.* 4. §. 7. & D Rhet. *ad* l. *feud.* 3. *p.* 161. juramentum v. g. & pacta comprehenſa putes, an vero in ſtrictiori, pro actu ſcilicet domini ſolenni, acceptione juramentum ſequi & pacta inveſtituræ appendices eſſe ſtatuas, dummodo de pactis neceſſariam eorundem fore in feudis plerumque impropriis appendicem ſpeciatim notetur; Interveniunt vero hic ac in omni feudo ſigna quævis ſolennia haſta, gladius, ſceptrum, vexillum annulus & torques pro ut ſcilicet feudum francum eſt, vel majus, vel medium, vel minimum vid. D. Strick. *cap.* 12. *qu.* 7. add. omnino Magn. D. Mollenbeck. fautor, Patronus ac Doctor meus venerandus *in diſſ. de Inveſt. abuſiv.* §. 7. adhibeantur teſtes Pares curiæ, & ſubmiſsè quoque & humili animo geſtuque inveſtitu-

ræ

ræ collationem ut excipiat vasallus francus exigit reverentia, qua domino obstringi dicitur *in* §. 35. An vero insimul juret fidelitatem? Negat post Bald. & Bœrium Wesemb. *tract. feud. cap.* 8. *num.* 20. & *cons.* 71. *n.* 133. quia illud quod dicitur *in* II. *feud.* 3. nullam investituram ei fieri debere qui fidelitatem facere recusat de propriis feudis afferatur, ut ideo ad impropria quæ franca dicuntur accommodari non debeat, rectius vero affirmant Zasius *part.* 12. *de feud. n.* 36. Rosenth. *cap.* 6. *concl.* 39. *n.* 3. Zœs. *cap.* 7. *de jur. feud. n.* 15 D. Godof. Antoni *disp. feud.* 4. *th.* 8. *lit. a.* D. Struv. *cap.* 8. *aph.* 6. *n.* 4. Hunn. *tract. feud. cap* 11. *pag.* 286. & quem priori loco nominare debuissem Magn. D. Mollenbeck. *d. diss. de Inv. abusiv.* §. 12. nam servitia heic tantum remittuntur ergo non fidelitas juxta regulam *in pr.* §. 8. traditam, & nisi ab initio expressim convenerit juramentum remissum non est, Lib. Baro Schenck. *ad* II. *feud.* 3. §. *fin.* Rosenth. *cap* 2. *concl.* 60. *&* 66. Hinc & in chartâ Philippi Regis de anno 1296. supra §. 19. allata feudum francum sub *homagio ligio & fidelitatis juramento* dicitur concedi, & inde homagium francum fuisse appellatum testatur Carolus du Fresne *in Gloss. voc. Francum feudum.* Cum vero ob diversam feudorum conditionem vix una & generalis formula omnibus satis commodè apperiri queat Rittersh. *lib.* 1. *part. feud. cap.* 10. *qu.* 4. mirum non est formulam in II. *feud.* 7. relatam non omninò huc quadrare, sed aliter paulo formandam esse D. Strick. *cap.* 13. *qu.* 13. ne, scilicet, feudi hujus qualitati repugnet Fachin. *lib.* 7. *contr.* 39. Germanorum tamen formula generalis: Seinen Schaden zu warnen und sein Bestes zu befördern wie einem getreuen Lehn-Mann gebühret, apud Rosenth. *cap.* 6. *concl.* 86. *lit. d.* tolerari quadantenus posset, hæc enim verba generalia verificantur quoque in fidelitate eisque innexis officiis.

XXVIII. Sed anne ita feudum francum suâ constituendi formâ absolvitur; sic sane sentiunt And. Isernia

in cap. un. in quib. causs. feud. amitt. n. 8. *&* 9. quem perpetuo sequitur Paris de Puteo *de redintegr. feudi cap.* 8. *n.* 17. *& cap.* 267. *n.* 4. *&* 5. statuentes servitium nisi expressè adjectum non deberi tum ob textum expressum *in* II *feud.* 23. tum quod servitium non sit de substantia sed fidelitas, tum quod in privilegiis non videantur conditiones appositæ, nisi exprimantur, ast communius itur in contrarium per textus in II. *feud.* 26. §. *licet* II. *feud.* 27. *in fin.* indistinctè loquentes, si enim aliud actum non sit res in feudum ita data censetur ac ordinaria feudi natura requirebat D. Strick. *cap.* 4. *q.* 32. de communi vero feudorum natura servitia præstanda esse patet ex II. *feud.* 7. add. Wurmſ. *de feud. improp. cl.* 3. *sect.* 1. *n.* 29. hancque veriorem sententiam tuentur liber Baro Schenk. *ad* III. *feud.* 1. *n.* 11. Rosenth. *cap.* 8. *concl.* 4. *n.* 3. *& seqq.* D. Antoni *disp. feudi* 7. *th.* 2. *lit. e.* Kohl. *de servit. feud. p.* 1. *num.* 5. Non obst. II. *feud.* 23. nam ibi promissionis fit mentio non limitativè aut restrictivè sed ampliativè, quod vel bis repetitum *sive* suâ naturâ potius amplians quam distinguens D. Strauch. *in lex. part. jur. voc. sive* satis indicat? Relinquitur ergo, præter communia in §. priori obiter recensita, proprium requiri adhuc & speciale, quod feudo franco esse demum det, atque hoc nihil aliud est quam expressa, ut sit francum, conventio; Rosenth. *cap.* 2. *concl.* 59. Vultej. *lib.* 1. *defend. cap.* 8. *n.* 91. Wurmſ. *de feud. improp. cl.* 3. *sect.* 9. *n.* 8. nam, quia est in hoc degenerans, non nisi pacto, effici potest, ne non obtineat feudi natura, & hoc adeo verum est, ut licet emptum sit idem obtineat, nam & in hoc feudi naturæ derogatum non reperitur, nec pecunia pro immunitate servitiorum sed pro re feudali consequendâ data est, & habet hic itidem emptor quod sibi imputet cur clarius non dixerit vid. ipse Kohl. *de serv. feud. p.* 1. *num.* 9. *add.* §. 12. Imo etiamsi feudum antea fuerit à servitiis liberum & postea ad dominum reversum

novi-

noviter alicui ſimpliciter absque ſervitiorum mentione reinfeudetur pro franco tamen haberi non debet, Snobel. *disp feud.* 8. *th.* 19. nam res ad propriam properat redire naturam Roſenth. *cap.* 8. *concl.* 4. *n.* 8. neque vero pactum quo antehac alii vaſallo ſervitia remiſſa ſunt poteſt allegare novus vaſallus, cum hic iſti non ſucceſſerit, ſed, feudo planè per conſolidationem extincto, novitet à domino rem feudi jure acceperit D. Struv. *cap.* 11. *aph.* 4. *n.* 2. Limitationem tamen addit ex Peregrino D. Antoni *disp. feud.* 7. *th.* 7. *lit. a.* niſi res illa ſæpius in feudum francum conceſſa fuerit, conſiderandum quippe an hoc ſolitum non debeat operari præſumptionem, ut rurſus videatur rem, ut ſolitus erat, conceſſiſſe Roſenth. *d. l. n.* 9. ſed vereor ne forte dominus, qui, quod prioribus in inveſtituris ter quaterve expreſſerat, nunc ſine cauſâ non omiſit, contrarium voluerit, maxime cum non ita facile ſuum jactaſſe præſumi debeat. Kohl. *d. l. n.* 8. Ut vero præciſè in Inveſtiturâ feudum francum vel liberum exprimatur, ceu volunt Baldus, Jaſon & veterum plerique, non ſemper eſt neceſſarium, verba æquipollentia quoque ſufficere poſſunt, vid. Roſenth. *cap.* 2. *concl.* 59. *lit. b.* Hinc in literis inveſtituræ ſequentia verba: Und dörffen uns davon keine Dienſte leiſten appoſita fuiſſe atteſtatur Sneidew. apud Finckelth. *disp. feud.* 2. *th.* 24. *lit. c.* Wurmſ. *d. ſect.* 9. *n.* 8. Beſold. *in theſ. pract. voc.* frey-Lehn; Huc etiam videri poſſent pertinere verba, frey gerühiglich belehnen, ſed cum verba illa nihil aliud velint quam ut ita promittens præſtet rem totam ad ſe pertinere, ac nemini obligatam eſſe, aut quovis modo obnoxiam, neque vero ita feudum francum conſtitui ſatis appareat, meritò cum Modeſtino Piſtore ad hunc effectum formulam hanc rejicit Wehner. *in obſerv. pract. voc.* frey geruhiglich, adjectum enim geruhiglich vocem frey ad ſecuram rei poſſeſſionem, ne in ea turbetur, reſtrin-

 git,

git, quinimò ipsum adverbium *libere* frey nihil aliud ut plurimum denotare quam pacifice & sine contradictione notat Albert. de Pergam. *de præpos. voc. libere* add. Wehner. *in pract. obs. voc.* frey. Quod vero idem Wehn. *voc.* frey-Lehen distinguens inter formulas: *nos tibi damus prædium hoc liberum in feudum*: Diesen freyen Hof zu Lehn & *prædium hoc in liberum feudum*: Diesen Hof zu einem freyen Lehn, priorem à servitiis, posteriorem vero non solum ab oneribus sed & aliis capitulis in investitura non comprehensis liberare tradit, quamvis id ex Zasio confirmet Addition. Besoldi *in thes. pract. in claus.* zu rechter Lehnschaft, nisi consuetudo patriæ Franconicæ teste Wehn. *d. l.* id ipsum expresse ita velit, indiscretè alias admitti non debet, priori quippe casu feudum magis proprium erit, & adjectum liberum feudi objectum rem saltem immunem esse indicat, posteriori vero tantum erit feudum francum, & ultra servitia non degenerabit. Germanorum enim frey-Lehn, cum franco coincidere supra §. 6. annotavimus.

XXIX. Hactenus de verâ investiturâ sequitur præsumpta quatenus scilicet præscriptio heic locum sibi vindicat, id enim operatur præscriptio ut re verâ investitura intercessisse præsumatur D. Strick. *cap.* 11. *qu.* 15. Magn. D. Mollenbeck *diss. de invest. abus.* §. *ult.* Ubi quidem certissimum est non ita facile feudum fieri francum, per præscriptionem enim quæsitum feudum informe redditur, & formam quam certam ac definitam ab homine non habet, Specificat vel determinat lex aut consuetudo feudalis quæ proprio favet feudo, non franco, Rosenth. *cap.* 2. *concl.* 51. D. God. Antoni *disp. feud.* 5. *th.* 4. & Bruckner. *Dissert. de feud. inform. cap.* 2. §. 1. nec etiam servitia, licet longissimo tempore, imo mille annis, exacta non sint, inde pro planè remissis haberi debent Finckelth. *disp. feud.* 8. *th.* 10. Rosenth *cap.* 8. *concl.* 26. *n.* 2. Wesemb. *cons.* 74. *n.* 30. utpote in merâ

facul-

facultate domini consistit servitia exigere & non exigere, ut hinc in quasi possessione servitiorum continuâ mansisse videatur lib. Baro Schenck. *ad* III. *feud.* 4. §. *licet.* Imo nec limitandum id est cum aliis in casu, quo Dominus servitiorum indiguisset, & non indixisset Rittersh. *lib.* 1. *part. feud. cap.* 18. *qu.* 12. *in fin.* aut alii interim ad servitia vocarentur, ille solus immunis relinqueretur, id. Rittersh. *part.* 2. *cap.* 1. *qu.* 44. quia dicunt jus domini ita tacite interpellatum esse Natta apud Rosenth. *cap.* 6. *concl.* 82. *lit. a.* nam licet servitia aliquot vicibus debita remisisset, non tamen in futurum remisisse crederetur D. Rhet. *ad* I. *feud.* 25. *pag.* 443. add. Kohl. *de serv. feud. p.* 7. *n.* 5. qualificata quippe ex parte præscribentis possessio etiam requiritur, quam non nisi prohibitione, aut, ut, ad feuda accommodetur, denegatione in juribus negativis acquiri tralatitium est. Quod si vero servitia denegaverit vasallus, & ab hinc bona fide per 30. annos fuerit in quasi possessione libertatis, dubium non est præscriptione, quâ non minus, ac verâ investiturâ aut pacto, feuda possunt alterari, Wesemb. *cons.* 148. *n.* 140. add Klock. *vot. cam.* 26. *n.* 115. feudum francum cœteris tamen paribus potius constitui vid. in terminis, ut ajunt Beier. *ad Snobel. disp. feud.* 7. *th.* 31. add. D. Antoni *disp. feud.* 7. *th.* 7. *lit. g.* quam plenum dominium vasallo consolidari, neque enim id probat abesse, quod contingit ab illo abesse Rosenth. *cap.* 6. *concl.* 82. *num.* 25. Hammel. *tr. feud. cap.* 3. *concl.* 1. *num.* 32.

XXX. Renovationem investituræ regulariter præcedit successio, quæ postquam ad feuda trahi cœpit non tam novus constituendi, quam ratione totius familiæ continuandi vel conservandi, aut etiam ratione succedentis quo ad exercitium saltem vid. ipse Itter. *cap.* 9. *de feud. Imper.* §. 27. acquirendi modus non incommodè appellari videtur D. Rhet. *ad* I. *feud.* 8. *n.* 5. *pag.* 295. quia tamen spe iteratæ investituræ intra annum & diem rite inter-

interponendæ ſuſtentatur, non immerito quoque ad iteratam inveſtituram referri poſſet, ſed, quicquid ſit de his, illud conſtat teſtamentariam ſucceſſionem in feudo plerumque haud obtinere I. *feud.* 8. nec rationem eſſe cur in feudo franco idem non ſit vid. Roſenth. *cap.* 7. *concl.* 2. *n.* 6. Sonsbeck. *p.* 4. *n.* 32. Snobel, *disp. feud.* 6. *th.* 4. Finckelth. *disp. feud.* 2. *th.* 25. D. Strick. *cap.* 14. *qu.* 13. & ſane contrarium qui evincere conantur uti liber Baro Schenck. *ad* I. *feud.* 8. *n.* 9. & plures apud Roſenth. *d. l. lit. k.* fruſtra verba *liberum* & *gratioſum* urgent, qualis enim eſt conſequentia feudum liberum eſt à ſervitiis ergo vaſallo de eo diſponere etiam in vim ultimæ voluntatis licet, vel feudum degenerat in uno ergo & in reliquis D. Rhet. *ad* I. *feud.* 8. *p.* 319. Neque regulam, qua in his & ſimilibus quæſtionibus ſemper utitur Curtius Junior vid. *p.* 1. *qu.* 8. *n.* 3. & *p.* 4. *n.* 117. *in feudo franco vaſallum non teneri niſi ad expreſſa*, firmo ſtare talo infra §. 34. demonſtratur, fruſtra quoque eccleſiæ aut piæ cauſæ privilegium heic impertit Sneidevv. *p.* 7. *cap.* 1. *n.* 44. magis enim hic obtinet prohibitio facta ſcilicet ob deficientem ſpem reverſionis I. *feud.* 13. quâ in feudo franco carere, ne plane ſit inutile, iniquius foret. Sonsb. *pag.* 4. *n.* 31. Prout vero conſuetudine aut lege ut de feudo vaſallus in conſulto domino teſtari queat, induci poteſt, Roſenth. *c.* 7. *concluſ.* 8. *n.* 1. deque moribus Francorum id aſſerit Gudel. *part.* 4. *de feud. c.* 2. *n.* 16. Hermes *ad Weſemb. cap.* 6. *n.* 6. *lit. a.* ita quoque dubium non eſt hiſce & ſimilibus locis in feudo franco idem licere, non, quia eſt francum, ſed quia more Fancorum v. gr. cenſeri debet, nam à feudo franco longè diverſum eſſe feudum conceſſum jure francorum, verliehen nach Fränckiſchem Recht, quod & iterum heic monet D. Rhet. *d. l. n.* 28. ſupra §. 6. jam præoccupavimus.

XXXI. Legitima vero ſucceſſio, cum utramque paginam in jure feudali facere ſoleat, magis huc pertinet,

net, ubi tamen extra necessitatem esse reor ipsam ejusdem originem à primis principiis repetere, & per singulos eundo partes, quomodo ad descendentes primum, dein collaterales venerit, demonstrare, pertinet hoc ad naturam feudi in genere & satis eâ de re egêre D. Schilt. *in Comment. ad* II. *feud.* 50. D. Eiben *cap.* 7. *El. feud* & passim feudistæ, omnia quippe, quæ favorem vasalli ejusque descendentium de jure feudali communi continent, in feudo franco, cujus natura est ut vasalli jus augeat non minuat, quoque deprehendi facile quis videt; Tantum an non ulterius quid vasalli franci Posteris tributum sit, videndum, ubi vexatissima sese offert quæstio de fœminâ, numne heic admittenda? & sane in utramque partem multi sunt Authores ut si Authoritatibus militandum foret, quo te verteres, nescias. Affirmant Finckelth. *disput. feud.* 6. *th.* 25. Clarus §. *feudum qu.* 73. *n.* 7. Zœs. *de jur. feud. cap.* 10. *n.* 28. Hammel. *cap.* 2. *concl.* 7. *n.* 41. *& seqq.* Niellius *disput. feud.* 5. *th.* 2. *lit. a.* D. Rhet. *ad* I. *feud.* 1. *p.* 111. *n.* 6. Vultejus *de feud. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 47. Rolandus, Cujacius & quos longa serie recensitos videre est apud Fachin. *lib.* 7. *contr.* 39. Sunt tamen & inter hos alii qui cum Masculis simul admittunt fœminas D. Struv. *cap.* 9. *synt. feud. aph.* 8. *n.* 2. Vultej. *d. cap.* 9. *n.* 80. Picus & alii apud Rosenth. *c.* 7. *concl.* 34. *lit. p.* Alii qui, ut ait D. Antoni *disput. feud.* 6. *th.* 1. *lit. e.* verecundiùs paulo post masculos demum eos successioni destinant vid. Strick. *c.* 12. *qu.* 11. Wesemb. *cons.* 74. *n.* 31. Negant Rosenth. *all. l. n.* 11. cum Zasio Schradero & aliis *lit. r.* allegatis D. Antoni *d. l.* Wurmf. *de feud. improp. cl.* 3. *sect.* 3. *n.* 439. *& seq.* Snobel. *disput. feud.* 6. *th.* 15. Hunnius *tract. feud. cap.* 10. *pag.* 221. *& seqq.* Ludvvel. *cap.* 9. *de feud. pag.* 190. *& de success. feud. cap.* 6. *qu.* 2. *pag.* 259. *& seq.* & omnino D. Schilter. in *Comm.* II. *feud.* 50. *cap.* 2. §. 20. Temperamentum quoddam distinctione an in feudo franco jusjurandum II. *feud.* 7. descriptum præstandum veniat, an non, post Garzon. *de fœm. ad feuda*

 recipiend.

recipiend. vel non restr. 3. quem tamen non allegat adferre conatur Fachin. *loc. all.* ut, sin prius fœminæ arceantur, sin posterius admittantur, verum cum supra §. 28. formulam juramenti mutandam nonnihil notatum sit, ipseque Fachin. posteriorem casum non tantum plerumque contingere sed repugnare quoque, esse feudum francum & ad ejusmodi juramentum restrictum, putet, in effectu, quod & animadvertit Hunnius *d. l. pag.* 221. cum purè affirmantibus coincidere quis non videt; Negantium vero sententiam ex analogiâ juris feudalis potiorum esse vel ex eo patet, quod uno naturalium mutato non & aliud mutatum censeri debeat, neque statim, utut detur, rationem, ob quam primitus exclusio fœminarum à successione fuit introducta, heic cessare, firmiter inde concludere licet, quod etiam jus ipsum cesset semel constitutum, in quibusdam enim speciebus, seu casu particulari negativè, ut Zœs. *ad tit. ff. de Leg. SCto & Consf. n.* 57. loqui amat, cessans ratio legis legem ipsam propterea non abolit, quemadmodum nec in ultimis voluntatibus causa falsa cessare facit legatum *l.* 17. *de cond. & dem.* maxime si ipsa causa sit impulsiva non finalis, Compend. Jur. Lauterb. *ad tit. d. ll. SCtis & long. consf.* Accedit positâ diversâ contrariorum hypothesi hodie tantùm non omnia feuda esse fœminina, atque ita insignem illam feudi in masculinum & fœmininum divisionem ad unum semel, quod tamen nec ipsi dissentientes facile admiserint, collabasci, regulariter enim ad serviendum de moribus Germaniæ admittitur substitutus Ill. D. Rhet. *ad* I. *feud.* 21. *pag.* 447. *n.* 2. ad quem dandum fœmina æque ac mas est idonea, an vero textui *in* II. *feud.* 104. quem Duarenus suppositititium, Bitschius apocriphum cum aliis extraordinariis capitulis vocant, tanta sit authoritas ac vult Vultej. *d. l. p.* 302. merito quis dubitaverit. vid. interim D. Schilter. *d. l.*

XXXII. De muto & surdo cur aliud dicendum non video, quamvis enim præter D. Rhet. ad I. *feud.* 6. *pag.* 288. *n.* 17.

n. 17. Struv. *cap.* 9. *aph.* 10. *n.* 8. ac plures alios id in dubium vocent Scraderus & Hunnius *cap.* 10. *pag.* 222. & 261. in eo à superiori casu discrimen ponentes, quod hos unica tantum ad servitia idoneitas excludat, illas vero etiam aliæ, puta quod tacere v. gr. ac consilium dare nequeant, per antedicta tamen hoc non attendi putaverim cum Rosenth. *cap.* 7. *concl.* 28. *n.* 21. & 22. Ludvvel. *cap. ult. de success. feud. pag.* 297. quomodo enim in periculo constitutum Dominum confestim certiorem faceret præmonendo, qui eloquio caret, *conf.* §. 38. vel inter Curiæ pares judicis officio defungeretur, qui votum dare aut pronunciare nequiret, sunt verba diss. alias D. Rhetii *d. l. pag.* 285. *n.* 1. Idem quoque judicium esto de clerico nec etenim beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium II. *feud.* 21. nimirum tam à negotiis sœcularibus arcetur, Clericus, ut ne quidem servitium feudi substantiale, quod in d. text. per officium intelligi notat Ill. D. ab Eiben. *cap.* 11. §. 11. *pag.* 250. præstari queat. add. Rosenth. *d. cap.* 7. *concl.* 30. *n.* 21. Ludvvel. *d. l. pag.* 293. Antequam hinc abeamus vel in transitu monendum, de oneribus, quæ ex ejusmodi successione vasallum alias sequuntur, & debitorum feudalium nomine vulgo insigniri solent, quo v. gr. pertinent alimenta inhabilibus præstanda, dos vel dotalitium defuncti vasalli filiæ aut viduæ constituendum, & quæ pluribus tractat D. Struv. *tot. cap.* 14. *de debit. feud.* ea heic non excludi habent enim respectum ad prædecessorem saltem, non ad dominum, cujus intuitu feudum francum tantum degenerat.

XXXIII. Una cum successione acquisitionem perficit iterata investitura D. Eiben. *cap.* 7. §. 18. hinc de ea vel breviter subjiciendum, nec est cur hæsitandum numne heic præstari quoque debeat, sane ad unum omnes à Rosenth. *cap.* 6. *concl.* 26. *n.* 6. & *seqq.* adductæ rationes satis id evincunt, reverentia domino debita vid. §. 35. juramenti, quod personalissimum est Comp. Jur. Lauterb. *de jurej. in effect.* necessaria repetitio, conf. §. 27. vid. Magnif. D.

 Mol-

Mollenb. *diss. de Invest. abusiv.* §. 15. &, quod maxime urget D. Struv. *cap.* 10. *aph.* 1. *n.* 2. recognitio Dominii directi, add. §. 35. omnem, ni fallor, etiam dubii suspicionem præscindunt: Etenim ne bona feudali titulo in alios derivata plane manumissa censeantur aut vasalli obligatio, quâ etiam franci dominis suis sunt obnoxii, tractu temporis obliteretur penitus, uti de cœteris feudis ita de francis, quoties consuetudo id exigit, renovationem investituræ peti justum est. Respuere tamen laudemia, in germania generali alias consuetudine inducta D. Tabor. in *Ichinogr. feud.* §. 37. feudi nostri liberi natura videtur, quod & multis evincere conatur Amadæus à Ponte *qu. Laud.* 18. Verum cum falsis nitatur principiis tum confundendo cum alienabili francum, tum regulæ, quæ ultra contenta in investiturâ vasallum francum non obligat *in* §. *seq.* rejectæ insistendo, nihil impedit quo minus hic æque ac aliis feudis in casibus consuetudine receptis, laudemia præstanda sint, nam non habent connexionem cum servitiis relevia, quippe ad id principaliter, ut novus Possessor per illam præstationem dominium directum recognoscat, ad inventa Fransk. *de laudem. cap.* 6. *n.* 2. D. Schilter. *diss. de bon. laudem.* §. 41. certe in signum etiam obligationis ad substantiale servitium, aut recognitionem quam vocant, par chirothecæ aut simile, quid à vasallis francis offerri solere ex Cragio docet Ill. D. ab Eiben *cap.* 11. §. 11.

XXXIV. Hæc de forma feudi franci constituendi hactenus, constituti *generica* perinde ut aliorum consistit in mutuâ fidelitate feudalitiâ, ut vocat ex professo eam explicans all. D. ab Eiben *d. c.* 11. §. 3. & *seqq.* feudum enim francum, quamvis liberum sit à servitiis, non tamen liberum est à fidelitate, Zasius *p.* 12. *n.* 36. Finckelth. *disp. feud.* 2. *th.* 25. *lit. a. conf.* §. 8. *Specifica* in jure haud præstandorum servitiorum ex quâ sola feudum francum æstimandum esse bene tradit Vultej. *lib.* 1. *de feud. cap.* 8. *n.* 91, *in fin.* Natura feudi franci est in eo, ne ultra immuni-

tatem

tatem à servitiis quid magis ex parte vasalli regulariter prætendi possit, nam & hic manet regula feudum improprium in reliquis retinere communem feudorum naturam, quippe naturalia non expressa etiam insunt feudo, nisi per pactum eadem sint sublata, Ergo necesse est ut quæ sublata non sunt remaneant; Inde etiam patet quid habendum sit de usitatissimâ illa veterum regula: *Vasallum francum ultra expressa in investitura non teneri* vid. Curt. junior. *c.* 9. *n.*29. Paris de Puteo *de redint. feud. cap.* 95. *n.* 8. Amad. à Ponte *qu. laudem.* 18. Nimirum, si is sit sensus quod vasallus, quem contrahentes francum vocant, ratione aliquorum haud expressorum servitiorum liber sit, admitti quidem quadantenus posset, sed ita feudum fore conditionatum supra §. 16. dictum; Si vero ea sit regulæ sententia: quod vasallus tanquam rem allodialem, ac nullo plane feudali vinculo nexam, tractare, deque ea pro lubitu, nisi quid expressum in investitura, disponere queat, quandoquidem, ut nimium quantum vasalli jura extendantur, adhiberi ut plurimum solet, falsam omnino esse bene docuit Hammel. *tract. feud. cap.* 3. *concl.* 8. *n.* 15. nam quid feudum sit ipso auditu statim ingeritur cujus leges in dubio subit quisquis intrat Magn. D. Hert. *p.* 2. *de feud. obl.* §. 37. nec enim ultra quod contrahentes expressim dixerint, vel per necessariam aut juri feudali probatam consequentiam secus voluisse colligantur, feudum degenerari permittendum est.

XXXV. Ita constitutum feudum effectus habet cum cœteris feudis communes vel proprios, illos qui respiciant tum dominum tum vasallum, eorumque onera, commoda, ex jure in re, vel ad rem profluentia; Est vero ex *jure in re* quod proprietas quoque sive dominium directum cum spe consolidationis seniori heic competat. Non enim cum Baldo proprietatem cum feudo franco infeudatam sustinente nos facere supra §. 8. incidenter dictum, feudi equidem tam naturale est dominium directum ut nec in eo quod alienabile vocant & Baldum per

 fran-

francum intelligere notat Amat à Ponte *qu. Laudem.* 28.& Rosenth. *cap.* 12. *lit. r.* abjectum censeri debeat; sola enim Emphiteuseos natura satis ostendit subsistere ejusmodi dominium etiamsi potestas rem alienandi alteri sit indulta, differunt alias feuda franca & alienabilia quod in his feudum quidem in tertium transire possit cum onere tamen servitiorum. Hujus vero directi dominii consequens quoque est vasalli franci ad recognitionem, ac rerum feudalium, earumque confinium demonstrationem obligatio, feudi enim franci libertas, quæ sola ad jus ad rem, non in re spectat, eò non extenditur, tantum abest ut H. Grotii in *lib.* 1. *de Jur. Bell. & pac. cap.* 3. *§.* 23. *n.* 2. feuda franca nullo jure in rem sed obligatione saltem personali consisti existimantis assertum admitti queat. Ex *jure ad rem* vasallus ad nullum etiam servitium obligatus omni loco & tempore honorem ac reverentiam præstare ac ne offendat seniorem omnibus modis cavere debet Hunn. *cap.* 13 *tract. feud. pag.* 353. Niell. *disp. feud.* 7. *th.* 3. *lit. a.* Hinc dominum actione famosâ non convenit, ad juramentum calumniæ non adigit, adversus eum testimonium non dicit, unico verbo: quæ in omittendo sive actu negativo consistunt, & à vero ac proprio vasallo alias præstari solent, non denegat. Onera vero queis dominus adstringitur non heic minui ob sæpe dictam regulam, quâ, quia respectu vasalli tantum plenius, francum degenerare statuitur, monere est supervacaneum.

XXXVI. Ad vasallum, cuijus in re confert plenissimum usumfructum, sive, prout Interpretes vulgo vocare amant, dominium utile, quælibet ex re feudali percipiendi commoditas non tantum spectat, de ipsa quoque proprietate participat, inde enim potestas subinfeudandi, quam vasallo franco minus recte dubiam facit Wehner. *in obs. pract. voc.* Frey-Lehn quia feudum hocce sit liberum ob possidentis personam, quam in præjudicium domini egredi iniquum, nam cum ipsi rei qualitas hæc indita sit, & sicut præstantur servitia ratione feudi, ita

ta viciſſim ejus intuitu remittuntur, ut hinc immunitas à ſervitiis realis potius ſit quam perſonalis. Kohl. *de ſerv. feud. part.* 1. *n.* 37. omnesque illi qui feuda poſſident jure ſubfeudi ſimul donati cenſeantur Kohl. *de ſubfeud. c.* 1. *num.* 5. ibique D. Wilh. Antoni *n* 89. D. Struv. *cap.* 12. *aph.* 10. quid vaſallum ejusmodi à ſubinfeudatione removeat non video, modo fiat ſincerè, obſervatis iisdem conditionibus, in æque idoneum, non fœminam, non mutum & ſurdum, non clericum non potentiorem II *feud.* 36. §. *profecto*; quanquam idoneitatem hanc non ex conditione ſive ſtatu, non ex ſervitio, ſed ex fidelitate æſtimandam putet Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 144. Sed cum ex eo quod ſubvaſallum arctiori ſibi lege omnino obſtringere permiſſum Struv. *d. l. aph.* 11. *n.* 6. Kohl. *de ſubinfeud. cap.* 2. § 47. *& ſeq.* certiſſimum ſit feudum à ſervitiis liberum, cum eorundem onere bene ſubinfeudare poſſe, haud exiguum oritur dubium, numne feudo ſimpliciter ſubinfeudato proprium, an vero, prout principale, francum haberi debeat? Pro priori ſtat præſumptio illa generalis, quà proprium præ improprio intelligitur D. Godof. Antoni *diſp. feud.* 15. *th.* 7. quæ nec hic eliditur per interpretationem delicti excluſivam quod alias, ne durioribus conditionibus quam habetur feudum ſubfeudum datum cenſeatur, regeri ſolet vid. Kohl. *d. cap.* 2. *de ſubfeud. n.* 44. hoc etenim caſu non tam non eſt delictum quin laudandus magis ſit vaſallus ut qui meliorem domini conditionem fecerit, Kohl. *d. l. n.* 48. Pro poſteriori adfertur expreſſ. textus II. *feud.* 34. §. *profecto.* accedit tam affine eſſe ſubfeudo feudum, ut re ipsâ inſpectâ ac remoto leviuſculo perſonarum diſcrimine in ſubfeudo feudum ſeparatum quid & diſtinctum non ſit Vultej. *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 145. adeo, ut de uno ad alterum quis inferre & argumentari non prohibeatur vid. omnino plures cumulans rationes D. Wilh. Antoni ad Kohl. *cap.* 3. *de ſubf. n.* 34. *& ſeqq.* Hæcque ſententia eſt veriſſima, eamque præter proxime alleg. tuetur Roſenth. *cap.* 9. *concl.* 43. *n.* 4. ubi ait ſi ſit fœmininum

prius,

prius, subfeudum idem censeri, separanda enim feudi & subfeudi natura, de illa agit in contrarium allata præsumptio, in eo unicè fundata, quia naturalia inesse præsumuntur, hoc ipso satis innuens extendendum non esse eo ut, naturalia cessent, quod tamen si ad subfeudum (cujus natura naturam sui principalis sequitur D. Wilh. Antoni *d. l. n.* 52. *& seq.* Vultej. *d. l.*) traheretur contingendum foret. Ex hoc jure quoque in re fluit quod possit feudum regulariter dividere Vasallus etiam francus, uti contra Socinum ex Scradero affirmat Rosenth. *cap.* 9. *concl.* 53. *num.* 9. possit refutare, & licet sint qui dissentiant allegantes apud Curt. jun. *cap.* 9. *n.* 30. hanc diversitatis rationem, quod in non franco sit species servitutis, in qua vasallus non debeat cogi perseverare, quæ ratio, cesset in franco & libero, fragile tamen esse hujusmodi argumentum & ob majus vasalli jus non cohærere, ac communiter non attendi ait Tesmar. *diss. de refut. feud. cap.* 3. *pag.* 16. add. Finckelth. *disp. feud.* 2. *th.* 25. sed an alienare queat dubium facit præstantissimus ille & Candidissimus (uti eum vocant D. W. Antonii ad Kohl. *cap.* 1. *de subfeud.* *n.* 28. Ill. ab Eiben *cap.* 7. §. 12. Germaniæ nostræ JCtus Zasius *pag.* 10. *n.* 16. ubi in feudo franco regulam alienationis prohibitivam fallere ait cum multis aliis à Rosenth. *cap.* 9. *concl.* 5. *l. b.* allegatis, sed ex supra §. 30. ademptâ testandi facultate contrarium esse verius manifestum est, generaliter enim alienationem prohibet II. *feud.* 52. nec nostrum proinde erit sine textus munimine heic exceptionem ponere Locam. *qu. feud.* 109. Sonsbec. *p.* 4. *n.* 32. Finckelth. *d. th.* 25. Rosenth. *d. l. n.* 2. ipseque Zasius *p.* 11. *n.* 37. ubi ex professo, ut ajunt, hanc quæstionem tractat & quo superius all. loco sese remiserat egregiè hanc confirmat sententiam tum quia alias pœnam commissi effugere posset vasallus, tum quia in reverentiam peccaret, ut adeo *d. p.* 10. *n.* 16. virum Excellentissimum ex aliorum sententiâ, non suâ locutum

fuisse

fuisse oportuerit, haud enim aliter bonæ interpretationis regulæ, ex conjunctione originis, ne quis sibi ipsi dissentiat, deprompta, id accipi permittunt H. Grot. *lib. 2. de jur. Bell. & Pac. cap.* 16. §. 7. Puffend. *lib.* 5. *de Jur. Nat. & Gent. cap.* 12. §. 9. Hæc de vasalli commodis ex jure in re, jus vero ejusdem ad rem, in mutuâ domini fidelitate consistens indicasse sufficiat. Ejusdem vero onera tanquam obligationi domino quæsitæ correlata præsertim quæ in facto negativo consistunt *ex §. præced.* conjicere licet, reliqua vero factum quoddam positivum requirentia §. *seqq.* reservabimus.

XXXVII. Proprius feudi franci effectus præprimis in eo est quod a servitiis vasallum liberet Zasius *p. ult. n.* 36. D. Antoni *disp. feud.* 7. *th.* 7. a servitiis puta, non substantialibus, seu, ut ait Kohl. *p.* 4. *de servit. feud. n.* 91. *in fin.* large ita acceptis, sed naturalibus stricte sc. ac proprie sic dictis, *conf.* §. 9. & 18. Hinc Vultej. *lib.* 1. *de feud. cap.* 6. *in fin.* *Sin expresso pacto servitia remissa sint etiam illa quæ in fidelitate continentur remissa esse censerentur, cæteris interim in fidelitate quæ proprie servitia non sunt salvis manentibus.* Commonefacit vero nos hic locus penitius paulo & accuratius singula intueri, servitia autem officialia ac reverentialia, quæ ut ait Wesemb. *tract. feud. cap.* 10. *n.* 13. & *seq.* ex jure naturali, obligatione nempe ad antidota proficiscuntur, naturam substantialium vix satis exhauriunt, nam cum & adhæc obligatus maneat refutans vasallus II. *feud.* 38. in memoriam scilicet fidelitatis & pristinæ amicitiæ, cujus reliquiæ perpetuo durant Tesmar. *diss. de refut. feud. cap.* 5. *th.* 1. patet inesse quid ulterius fidelitati quam ejusmodi refutans actu amplius non præstat, & hinc quoque præter omissionem mali, eorumque benefactorum commissionem quæ ad reverentiam spectant, cœtera quæ mente alias verbisque expediri possunt includit notante illust. D. ab Eiben *c.* 11. §. 11. *pag.* 150. Kohlius *d. p.* 4. *n.* 94. describens substantialia, ubi quis abstinet ab his, de quibus habetur in II. *feud.* 7. omnique maleficio

contra dominum, at periculum imminens ubi poteſt, impedit, ac domino, quam cito poterit nunciat, conſilia ſuppeditat, aſt cum nec ea ſervitia aut officia, *ſunt verba D. Eiben d. l.* quæ manus ſimul, mentisque niſum operamve, quæ arma viroſque deſiderant, a fidelitate in graviſſima v. gr. neceſſitate abeſſe quandoque nequeant, & hæc Kohlii deſcriptio inſufficiens eſt, & ſane definitionem ejus rei pleniorem, quod magnam partem in facti quæſtione poſita ſit, dari non poſſe haud obſcure fatetur ipſe D. ab Eiben *d. l. in fin.* Tentari equidem poſſet, numne ſaltem a poſteriori ex nomotheſia juris feudalis regula inveniri queat, quæ ſi non plane quadantenus ſaltem, ita rem explicet, ne nimis vagum ſit judicis hac in re arbitrium, occurrunt ſervitia ad quæ irrequiſitus tenetur vaſallus ſedem habentia in textibus II *feud.* 7. & 24. § 2. 26. *§. licet & 28. ad hæc*, quorum ratio in eo conſiſtere videtur, quod, quia ipſi fidelitati, quæ ſemper irrequiſitim etiam præſtanda, inſint, expectandum non ſit donec denunciet dominus vid. in exemplo D. Rhet. *ad I. feud.* 21. *p.* 445. ſervitiorum vero propriorum ea eſt natura, ut niſi indicta debeantur, quid ſi quis regulam ita efformaret? *ad quæ vaſallus, ſine prævia conventione vel lege, ex ipſius ſervitii natura irrequiſitus tenetur, illa ſunt ſubſtantialia*, dixi *ſine conventione vel lege* ne cum ſervitiis ſtato tempore præſtandis, ubi dies quoque interpellat pro homine D. G. Antoni *disp. feud.* 7. §. 4. *lit. a.* confunderentur quippe quæ tam longe abſunt a feudi ſubſtantia, ut, niſi ita caveatur, eorum in feudo non veniat ratio, additur *ex ipſius ſervitii natura* nam quod quidam uti Kohl. *de ſervit. feud. p. ult. n.* 65. quandoque poſt interpellationem moram purgare admittant, ita tamen ut re adhuc integra ad ſerviendum ſeſe offerat, id, ſi verum, ex accidenti venit & vaſalli moroſi facto, adeoque heic in conſiderationem trahi non debet.

XXXVIII. Sed exempla ſubjungamus: Si ultro & irrequiſitim Domino magnum periculum imminenti ſub-

ſubveniendum eſt II. *feud.* 26. §. *licet*, pluribus in vaſallo franco id confirmat Kohl. *p.* 4. *n.* 98. tum per regulam jam datam, tum quod in quacunque diſpoſitione ſive prohibitione generali exceptum cenſeatur quod fieri oportet ex cauſa magnæ & urgentis neceſſitatis quam privilegiatam vocant, accedit in genere licet immunitatem datam ab omnibus oneribus ad tempus tamen neceſſitatis haud porrigi Rec. *Imp. de anno* 1544. §. Und nemlich ſol/ nimis enim grave eſſet atque intolerabile verba prout jacent, crude heic ac ſimpliciter ſequi vid H. Grotius *lib.* 2. *de Jur. Bell. & Pac. cap.* 16. §. 27. *num.* 1. cum Kohlio idem ſentiunt Roſenth. *cap.* 28. *concl.* 21. *n.* 6. D. Strick. *in Ex. jur. feud. cap.* 4. *qu.* 32. D. ab Eiben *cap.* 11. §. 11. *in fin.* Hinc etiam forte eſt quod refert Auth. recuperationis terræ ſanctæ apud Alteſerr. *de orig. cap.* 10. vaſallos francos ad retrobannium fuiſſe vocatos; Non vero ſaltem ab exterius intentata vi, ſed & quam maxime ex inopia magnum vitæ periculum domino imminere poteſt Locam. *qu. feud.* 95. & vix major neceſſitas eſſe nequit quam famis, quæ omnium rerum clades & acerbitates ſuperare videtur Hunn. *tract. feud. cap.* 13. *p.* 376. unde non minus heic quam in vero feudo, de quo vid. D. Antonii *diſp. feud.* 7. §. 9. Kohl. *de ſerv feud. p.* 2. *num.* 12. Strick. *cap.* 18. *qu.* 34. alimenta, quantum commode ex feudo fieri poteſt ſunt ſuppeditanda vid. omnino D. Struv. *c.* 11. *num.* 15. Irrequiſitus (2) incluſum dominum cum potuerit liberat II. *feud.* 24. §. *item ſi delator* & litrum pro eo ſolvi modo id ex domini bonis nequeat capi D. Strick. *cap.* 18. *qu.* 36. add. pluribus Kohl. *de ſervit. feudal. p.* 4. *num.* 42. *& ſeqq.* quidni etiam vaſallo franco ſimilia incumbent, hoc etenim ex priori fluit; Irrequiſitus (3) inſidias domino ſtructas denunciat II. *feud.* 24. *& præterea ſi vaſallus*, ſic & vaſalli franci eſt commonere dominum ne in pericula incidat Zaſius *p.* 12. *n.* 36. Beſold. *in theſ. pract. voc.* Frey-Lehen eſt enim fidelitatis pars admonere dominum Weſemb. *conſ.* 35. *n.* 96. Irrequiſitus (4) reverentalia ac officialia præſtat ſervitia Kohl. *c.* 6. *de ſerv. feud. n.* 26.

 Ro-

Rosenth. *cap.* 8. *concl.* 16. *n.* 5. hæc ad vasalli franci officium æque pertinere dictum modo *in* § 35. *&c.* De servitiis vero naturalibus quæ in juvando potissimum posita esse ait Kohl. *d. p.* 4. *n.* 94. speciatim agere supervacaneum forte foret ac extra propositum præsertim cum, quid sint, quodammodo conjicere liceat ex iis, quæ de substantialibus fuere dicta.

XXXIX. Illud adhuc ad proprium feudi franci effectum pertinet si ejusmodi vasallus sponte domino serviat sive extra sive intra ejus ditionem sumptus indistincte esse suppeditandos Rosenth. *cap.* 8. *lit. e.* cum tamen alias regula sit vasallum sumptibus propriis militare teneri Vultej. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 44. Zasius *p.* 7. *n.* 44. Ill. D. Rhet. *ad* I. *feud.* 21. *p.* 446. Kohl. *de serv. feud. p.* 6. *n.* 14. *& seqq.* nam cum ad servitia non obstrictus exhibeat ea ex mera liberalitate, sufficit amico amici labore vel in paucis consuli, *l* 20. *C. de neg. gest.* iniquius vero foret alicui suum officium alieni emolumenti causa susceptum esse damnosum *l.* 61. §. 5. *ff. de furt.* vid. omnino Kohl. *d. p.* 6. *n.* 9. Imo non sumptus solum expeditionis, sive actuali servitiorum exhibitioni impendi solitos, instructionis quoque impensas, si ejusmodi francus vasallus propriis equis vel armis instructus militare nolit, dominus præstare tenetur, id. Kohl. *n.* 33. adeo etiam ut si equum vel arma amiserit, aut aliter damnum senserit resarciendum veniat *arg. d. l.* 61. quæ enim alicui ratione suscepti negotii alieni abesse dignoscuntur etiamsi casu fortuito, qui prævideri facile potuit ablata sint a domino sunt restituenda Kohl. *d. n.* 34.

XL. Constitutionem excipit destructio, enim vero cum ex supra rejecta Cyni definitione, commissioni heic quoque locus datus sit, sic, quid hac in re sentiendum, tractatum modo videri posset, ut tamen ordini aliquid detur, breviter annotandum, iisdem culpis servitia si eximas, quibus feudum proprium amitti & francum, liberum enim a servitiis impune non est a maleficiis liber Baro

ro Schenck ad III. *feud.* n. 13. rationem addit Roſenth. *c.* 10. *concl.* 8. *n.* 15. quia delicta feudalia plerumque inde exiſtunt, quod agatur contra contenta fidelitatis ad quæ ſi non teneretur vaſallus, ob defectum præcipui feudum non poſſet eſſe, quod ſane in dubio contra verba expreſſa contrahentium dicere durum foret Roſenth. *cap.* 10. *concl.* 39. *n.* 37. præter culpam vero finitur quoque rei interitu ac conſolidatione quæ etiam præſcriptione quam extinctivam vocant, fieri poteſt, dummodo notetur eam domino heic non currere ob non exacta, aut etiam negata ſervitia cum nulla debeantur Roſenth. *cap.* 6. *concl.* 82. *n.* 19. add. Wurmbſ. *de feud. improp. cl.* 3. *ſect.* 3. *n.* 42. a parte præſcribentis interverſio poſſeſſionis, quod v. gr. bona fide vaſallum ſeſe negaverit, omnino requiritur vid. D. Struv. *cap.* 15. *aph.* 3. *n.* 5. Stryck. *cap.* 11. *qu.* 18. *conf.* §. 29.

XLI. Actiones quæ ratione hujus feudi franci competunt, & ab aliis cœterorum feudorum non differunt, in foro quoque feudali agitentur vaſallus enim francus coram aliis quam ſeniore litem agere vetatur. Roſenth. *cap.* 12. *concl.* 1. *n.* 41. Hunn. *tract. feud. cap.* 15. *pag.* 404. Mirum autem non eſt diſſentientem habere Baldum alla apud Roſenth. *d. l.* fluit equidem hoc ex ejus hypotheſi ſupra §. 8. rejecta, qua feudum francum ita liberum ſtatuit ut vix permittat ab allodio differe, Nos interim inſiſtimus regulæ ſupra, jam toties quoties inculcatæ, & feudum ultra expreſſa degenerari haud permittimus, nec argumento abalienatione deprompto quaſi in judicium deductio tanti videri nequeat ac alienatio, inde dimoveri nos patimur tum quia falſum eſſe prius luculenter *in* §. 36. probatum, tum quia connexio argumenti non ſatis firma, diverſa enim utriusque eſt ratio, in alienatione fidelitas perimitur, ſed ut aliquis fidelis maneat, & tamen alium judicem domino præferat incompatibiles qualitates videntur, ac una alteram deſtruit. Hammel. *in tract. feud. cap.* 3. *concl.* 8. *n.* 16.

XLII. In proceſſu vero probationibus quam maxime

opus

opus, quæ ubi desunt ad præsumptiones decurritur, has inter habenda videtur ea qua francum præ proprio intelligitur, cum enim nimia mutatio in dubio non præsumatur, naturalis libertas, & quod eam proxime accedit, attendenda potius videtur, quam quod eam magis onerat quippe omnis pro libertate præsumptio est favorabilis; Enimvero recte monet *Hamm. cap.* 3. *concl.* 8. *n.* 13. distinguendum esse inter communem rerum proprietatem & qualitatem cujusque rei particulariter propriam, ita ut si non constet de speciali qualitate priori, quæ libertati favet, locus sit vid. late Wesemb. *consf.* 192. *n.* 27. *& seqq.* inde enim vulgatum illud; allodialia potius quam feudalia præsumuntur vid. Struv. *cap.* 16. *aph.* 11. si vero de certa illa qualitate, feudo v. gr. constet, præsumatur potius propria illius qualitatis natura, in feudo v. gr. ne sit liberum, nam ita prior libertatis præsumptio eliditur per aliam particularem & fortiorem arg. eorum quæ habet Menoch. *lib.* 1. *præs. qu.* 29.

XLIII. Affinia his feudis videntur esse feuda soldatæ Germ. Gnaden-Gelder D. Strick. *cap.* 4. *qu.* 55. nam & hæc sine onere, servitiorum conceduntur II. *feud.* 10. D. Strick. *cap.* 4. *qu.* 61. differre tamen quoque ex supra §. 9. dictis certum est, unde ita dicantur ait feudista quod in solidorum donatione consistant II. *feud.* 10. ex quo etiam Germanorum Sold derivat D. Struv. *cap.* 4. *aph.* 18. *num.* 4. sed quam bene videant alii conf. interim Besold. *in thes. pract. voce* Sold, Sunt vero nihil aliud quam feuda impropria alicui in annua pro alimentis præstatione sine servitiis constituta, causa eorundem impulsiva est paupertas ut Nobilibus v. gr. senibus & ad inopiam redactis, aut factis in militia ad serviendum incapacibus ita quodammodo succurretur Zas. *c.* 10. *n.* 32. Lib. Baro Schenck. *add.* II. *feud.* 10. vid. Thom. de Marin. *de gener. & qual. feud. tot. tit.* 26. *de feudo soldato & tit.* 23. *de feudo personalissimo.*

XLIV. Propius & nomine & re accedunt feuda solis vulgo Sonnen-Lehn ceu docuit D. ab Eiben *cap.* 6. §. 7.

voc.

pag. 98. prout enim francum lucens & splendidum haud raro insigniri solet *vid.* §. 6. ita inter proprios solis virtutes quoque est lux & splendor, deinde prout cœteri bona ab Imperatore sub nexu feudali libera ab omnibus oneribus possidebant, alii quoque, cum id nollent, hoc feudalis qualitatis schemate & prætextu sua bona authoritate quadam & sanctitate vestire voluisse probabile est, ut ait D. Hert. *p.* 2. *de feud. obl.* §. 42. differre tamen & non nisi vocis sono aut æquivoce esse feuda, revera alodii naturam obtinere docet D. Strick. *cap.* 2. *Exam. jur. feud. qu.* 5. Rationem nominis fusius disquirit D. ab Eiben & D. Hert *d. l.* ubi ex Scoppio veterem hac in re ritum eleganter observat scilicet *moris fuisse nobilis domus seniorem cataphractum, & versus ortum solis equo vectum, nudato gladio, radios solis decussatim vibrare, devotione quadam addita, elemosinisque in usum pauperum tributis, res a Deo suas recognoscere.* An vero nomenclationis, illius Authores Geldri sint ut voluit Fridericus a Sande dubitat D. Rhet. *ad* I. *feud.* 1. *pag.* 44. & saltem si germaniæ superiori non debeantur hac in re primæ, eodem saltem tempore in utraque oriunda autumat, cœterum de hoc feudo & illustribus ejus exemplis Comitatu Oldenburgiæ v. gr. & Hannovii præter all. pluribus egit Fritschius *pec. diss.*

LXV. Tandem similitudinem quandam habere videntur Sattel-freye Güter, nam & a servitiis equestribus vasallum liberant quamvis non reliquis in investitura haud expressis vid. D. Strick. *cap.* 4. *qu.* 31. Non tamen confundenda sunt cum Saal-Gütern uti vult Coring. *de orig. jur. germ. cap.* 7. *p.* 33. asserens imperite Sattel-freye Güter dici, ex vera ratione Saal-freye nuncupanda, hæc etenim nullis subsunt oneribus quod tamen de Sattel-freyen Gütern aliter sese ex actis observasse tradit D. Rhet. ad I. *feud. p.* 83. Unde ita dicantur & quid sint ex præmissa consideratione von den Sattel-Gütern quibus opponuntur, dependet; Eorum vero diversa in

Geldria

Geldria & Germania, eſt conditio: In Geldria laudemii vim exprimunt, quod vaſalli feuda recipientes domino equum inſtructum præſtare teneantur, ut ex Friderico a Sande docet D. Schilt. *in diſſert. de Inveſt. ſim. Princ.* §. 1. Noſtris vero moribus *vel* ſervitiis explentur militaribus ab ipſis vaſallis equitibus eorumve ſubſtitutis præſtandis, de quibus ita loquitur Wehn. *in obſerv. pract. voc.* Sattel-Güter: *Multi ſunt nobiles qui ſunt Landſasſii, & tamen ratione aliquorum jurium privilegiati ſunt, quæ dicuntur* Sattel-Güter *ratione illorum ſunt æque* der Reichs-Conſtitutionen fähig als andere, addens quoque exempla ubi horum ratione proceſſus in Camera Imperiali in prima inſtantia emanati ſint, *vel* quoque ſi ſint feuda ruſtica, ſtatuto tempore vel quando indiget ſervitiorum dominus equus inſtructus ſine milite dandus venit; ab his vero, in prima an ſecunda ſignificatione ſumas perinde eſt, ſi detur immunitas dicuntur, pro cujusque loci conſuetudine Sattel-freye Güter vid. pluribus D. Rhet. *d. l. p.* 82. & 83. poſſemus adhuc plura affinia adferre v. gr. quando pacto conventum aut conſuetudine inductum ne feudum amittatur ob non præſtitum ſervitium, ubi nihilominus ad præſtationem ſervitiorum dominus agere poteſt vid. Kohl. *de ſerv. feud. p. ult. n.* 53. ſed tempus eſt anchoram heic figere, DEO ſit

LAVS HONOR GLORIA.



